VITT. EMANUELE
BORENSE
31
B
28

m

Digitized by Google

Digitized by Google

BALTHASSAR
FRANCOLINUS
SOCIET. JESU THEOLOGUS;

Digitized by Google

Digitized by Google

BALTHASSAR
FRANCOLINUS
SOCIET. JESU THEOLOGUS
CLERICI ROMANI
INSTITUTOR

Ab Anonymi Scriptoris Accuſationibus Vindicatus.

AUCTORE EODEM,
QUI ACCUSATUR, ET VINDICATUR.

ROMÆ, MDCCVI.
Typis Cajetani Zenobii Typographi, & Scalptoris,
SS. D. N. CLEMENTIS XI.

SVPERIORVM LICENZIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EADEM *die, qua prodiit in lucem liber bipartitus, quo Clericum Romanum contra nimium rigorem munivi, in aciem contra ipſum prodiere non pauci rigidioris doctrinæ patroni, eam cau-*

ſam prætexentes, quòd in ea ad Clericum Romanum adhortatione primæ Operis diſputationi præfixâ omnibus univerſim Clericis Tranſmontanis Rigoriſmi, aut etiam pejoris culpæ notam inurerem, eos falsè deſcribens, monenſque prædictum Clericum, ne ex Clerico Romano Clericum Tranſmontanum fieri ſe ulla ratione permitteret. Id ubi ab amicis cognovi, curavi ſtatim abſtrahi à toto Opere, & ſupprimi offendiculum, nempè prædictam adhortatoriam præfationem, vel ſaltem ea verba quæ accuſabantur: addidi ore, & ſcriptis, ut poſtea iterum feci in Præfatione ad Tractatum de dolore &c. *ex contextu reſtringi ſenſum eorum verborum; nec eam fuiſſe mentem meam, ut vel leviſſimè notatum vellem Clerum Tranſmontanum, quem Fide incorrupta, ſanctiſſima diſciplina, præſtantique doctrina*

præ-

præditum, nec alium à Romano eſſe non ignorabam. Id aliquibus viſum ſatis, non tamen omnibus: initum proinde à nonnullis conſilium fuit quærendi qui contra me ſcriberet. Obtulit ſe non quidem doctior, ſed animoſior, iſque poſt annum in librorum lectione, & cenſura impenſum, poſt multorum in id conſpirantium operam, libellum, ſuo nomine ſuppreſſo, procudit, aut procudere ſimulavit Delphis, Oppido Hollandiæ, quod olim fuit Arnaldi perfugium, & lyceum. Unde enim, & qua alia fronte prodiret libellus ſcatens injuriis, & maledictis?

Ut eodem ſtylo reſponderem, hortabantur aliqui, & licere dicebant reſponſuro Anonymo Scriptori: non enim dehoneſtatur qui neſcitur. At hunc ſtylum didici nunquam. Acui quandoque calamum in meis libris, ſed contra

 erro-

errorem. Errantes vellico, carpo, ferio, ſed errantes generatim. Scriptorem, Doctorem, aut alium quempiam, quem nominem, aut innuam, præſertìm bonâ fruentem famâ, nunquam læſi: non enim lædit qui alium impugnat ſolùm, eumque deceptum, dicit, nec bene interpretari textus, nec bene colligere ratiocinando: alioquin quicunque ſcribunt contra aliquem, læderent jura juſtitiæ, & charitatis, eaque violaſſent Hieronymus, & Auguſtinus, dum aut Vigilantium, aut Heloidum, aut Julianum impugnarunt, ſed ille contra Juſtitiam, & Charitatem peccat qui bonæ famæ virum judicio privato damnat, damnatumque conviciis, & contumeliis punit. Ut ut igitur peccarit is qui contra me ſcripſit in felle amaritudinis (*Act.* 8. 13.) *id ego non faciam, nec ea utar ſcribendi ratione,*

quæ

quæ digna non ſit homine Chriſtiano, religioſoque. Non igitur ulciſcar, ſepoſitiſque conviciis, id unicè faciam, quod faciendum mihi eſt. Reſpondebo tantùm. Probabo ACCUSATORIS MEI LIBELLUM EAM IN ME ACCUSATIONEM INTENDERE, CUJUS PARTES OMNES CONTINENT MANIFESTAM FALSITATEM.

Id autem facilè oſtendam. Vix enim unquam Accuſator doctrinæ meæ determinationes, quas concluſiones, ſeu ſententias dicimus, impugnat, ſed alia quædam, quæ aut obiter dixi, aut ne dixi quidem, ſed ab aliis dicta retuli, aut videor innuiſſe, & modò vitio vertit, quod aliquos laudaverim, modò quòd aliquos rejecerim, modò, quòd aliquibus non contradixerim: arcem doctrinæ meæ aggreditur nunquam, pro-

pugna-

pugnacula quædam exteriora tentat aliquando, ſed irrito conatu. Uno verbo dicam. Omnia impugnare videtur, ſed nihil impugnat.

Accuſatio autem, quam malè divisit in decem Obſervationes, quinque capita, ſeù partes complectitur, veluti totidem particulares accuſationes.

Primò enim accuſor laxioris in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ diſciplinæ, aliorumque circa mores errorum.

Secundò ficti afficlique Rigoriſmi.

Tertiò injuriæ illatæ Eccleſiis, Patribus, Conciliis, Summis Pontificibus, & clariſſimis ætatis noſtræ Scriptoribus.

Quartò imperitiæ in critica diſciplina.

Quin-

Quintò falſationum in citando, aut allegando commiſſarum. Has totidem capitibus diſpellam.

MI-

Digitized by Google

MICHAEL - ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Balthaſsar Francolinus Soc. Jeſu Theologus Clerici Romani Inſtitutor ab Anonymi Scriptoris accuſationibus vindicatus Authore eodem qui accuſatur, & vindicatur*. Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 12. Septembris 1706.

Michael - Angelus Tamburinus.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtri Sac. Pal. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

COmmiſſum mihi librum à Reverendiſſimo P. Fr. Paulino Bernardini Sac. Apoſt. Palat. Magiſtro examinandum, cui titulus eſt. *Balthaſſar Francolinus Soc. Jeſu Theologus Clerici Romani Inſtitutor ab Anonymi Scriptoris accuſationibus vindicatus Authore eodem qui accuſatur, & vindicatur*. Magua animi attentione percurri, miram in eo Authoris modeſtiam; mirandam potius quam imitandam reperi; quam bene, erudite, ac ſolidè reſpondeat ſui adverſarii accuſationibus, dicant peritiſſimi criticæ diſciplinæ cultores. Secutus eſt eruditus Author Senecæ conſilium Epiſt. 84. *debere Scriptorem totum comprehendere ſub exiguo*, breve eſt volumen plurima complectens; *Multa & magna, brevitate tractanda ſunt*, inquit Valerius Maximus. Nihil ergo in toto opere inveni quod ſacris Fidei dogmatibus contradicat, vel bonis moribus diſſonum ſit. Unde poſſe prodire in lucem cenſeo ſalvo meliori Judicio) in hoc noſtro Clericorum Regularium Minorum Collegio Divi Thomæ de Urbe apud SS. Vincentium, & Anaſtaſium in Trivio die 3. Octobris Anni Domini 1706.

Philippus de Caſtillion Cleric. Reg. Min. Sacræ Theologiæ Hiſpalenſis Doctor, & Lector nec non pro Hiſpaniarum Provinciis Aſſiſtens Generalis.

Juſſu

JUſſu Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, librum, cui titulus eſt. *Balthaßar Francolinus Soc. Jeſu Theologus Clerici Romani Inſtitutor ab Anonymi Scriptoris accuſationibus vindicatus Authore eodem qui accuſatur, & vindicatur*. Diligenter evolui, & nihil in eo à fide Orthodoxa, Moribuſque Chriſtianis averſum, diſſonumque contineri arbitror, quin imò ad excitanda Theologorum ingenia, plurimam eruditionem, atque momenta maturâ reflexione digna, ac proinde ad publicam utilitatem, & lucem exponi poſſe.

F. Paulus Maria Cavvinus Magiſter, ac Theologus Caſanatenſis, Ord. Prædic.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicat. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Prima Accuſatio laxitatis, & errorum circa mores diſpellitur.

CAPUT II.

Secunda Accuſatio ficti, affictique Rigoriſmi diſiicitur.

CAPUT III.

Tertia Accuſatio illatæ Patribus, & Conciliis injuriæ pariter diſpellitur.

CAPUT IV.

Quarta Accuſatio falſationum in allegando commiſſarum evertitur.

CAPUT V.

Quinta Accuſatio imperitiæ in critica diſciplina ſummam in eadem facultate Accuſatoris imperitiam oſtendit.

BAL-

Digitized by Google

BALTHASSAR FRANCOLINUS

SOCIET. JESU THEOLOGUS

Ab Anonymi Scriptoris Accu-ſationibus vindicatus.

CAPUT I.

Prima accuſatio laxitatis, & errorum circa mores diſpellitur.

EA prima accuſatio, ſeu pars ac- 1
cuſationis eſt, quod (ut habet prima libelli facies) fuerim *laxioris in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento diſciplinæ Magiſter*. Sed agedum, & oſtende, quid docuerim. Conſulamus Obſervationem quintam, in qua errores meos circa mores, hujuſque Sacra-

Digitized by Google

menti adminiſtrationem, notaſti.

Dicis, quod tom. 1. diſp. 5. à pag. 3. uſque ad pag. 134. *id probandum aſſumo, Peccatoribus in eadem peccata ſæpe labentibus, & longo peccandi mortaliter habitu affectis ſua ſponte ad confeſſionem accedentibus, ore profitentibus ſe vero tangi dolore, ac propoſitum habere non peccandi in poſterum, Confeſſarium debere credere, illoſque ſtatim ſacramentalis abſolutionis beneficio donare.* Ita refers pag. 89. ſed malè refers. Id nunquam doceo. Relege illam diſputionem meam, conſule num. 38. in quo doceo, Confeſſarium habere ſufficiens fundamentum judicandi quod Pœnitens ſit diſpoſitus, *dum is aut exercitè ipſo modo confitendi, aut ſignatè dicit, ſe habere dolorem, & propoſitum, NISI SIT PRÆSUMPTIO CONTRA IPSUM*. Cur deſeris hæc ultima verba, quibus doctrina illa generalis, quam mihi affiſingis, adeo reſtringitur? qua fide id facis? Rurſus eadem diſputatione 5. num. 39. id ipſum repeto his verbis. *Eſt credendum Pœnitenti, niſi ſit præſumptio contra ipſum, quæ ejus atteſtationem elidat*. Et addo pag. ſequenti hanc preſumptionem adeſſe *cum pœnitens non adhibuit poſt ultimam confeſſionem ullum conatum,*

ne

ne relaberetur, ac proinde ei in tali caſu non eſſe credendum, ut monet Card. de Lugo: Eandem diſputationem claudo eo verſiculo. *Rejicias nunquam, audi ſemper, abſolve frequenter*. Cur autem non ſemper, ſed frequenter, niſi quia nolo ſemper fidem haberi pœnitenti? Diſputatione autem 10. lib. 2. hanc ipſam doctrinam trado diſertiſſimè per hæc ipſiſſima verba. *In hoc foro Reus ſemper meretur fidem, dum seriò dicit, ideſt dum ita dicit, ut ſibi non contradicat. Nam qui dicit, ſe dolere, & proponere, & ſimul ex. gr. non vult deſerere occaſionem proximam voluntariam, aut alia facere, quæ debet, jam ſibi contradicit*. Eſt igitur manifeſte falſum, à me tradi illam doctrinam adeo generalem.

Dum autem poſtea, nempe pag. 129. dico, quod *is qui habebatur ut indiſpoſitus vel propter vitam nihil emendatam, vel ex alio capite, eſt habendus pro diſpoſito, dum monitus, & increpitus à Confeſſario ſignificat ſe dolere*, mihi non contradico, nam ibi non ago de quovis utcunque ſignificante ſe dolere, ſed de eo, qui accedit quidem indiſpoſitus, aut talis eſſe creditur à Confeſſario propter vitam nihil emendatam, vel ex clio capite, quemque Confeſſa- 2

rius vult diſponere, ut aliquando debet, vel quia pœnitens non eſt habiturus ampliùs copiam Confeſſarii, vel propter aliam rationabilem cauſam, & ideò efficaci adhortatione ita eum commovet, ut non ſolum *dicat* ſe dolere, ſed talia det doloris ſigna, ut *oſtendat ſe verè dolere*. Sic enim habeo paulò ante verba allegata. *Is VERUS dolor, & propoſitum, quod Pœnitens excitatus brevibus, ſed penetrantibus verbis Confeſſarii quà monentis, qua increpantis, qua ipſam abſolutionis dilationem minantis concipere OSTENDIT, ſatis eſt ad Sacramentum adeòq; is pœnitens eſt jam habendus tanquam diſpoſitus*. Nec hos abſolvendos negat D. Carolus in Inſtructione, quam poſteà allegat Accuſator pag. 111. ibi enim non agit S. Præſul de iſto caſu Pœnitentis, qui debet diſponi, nec de eo, qui præciſe non ſe emendaverit, ſed qui probabiliter non ſit ſe emendaturus: ſic enim dicit. *Confeſſarios monitos volumus, ut iis, quos peccata non dimiſſuros probabiliter exiſtimabunt, quantumvis polliceantur, & ſpondeant, ea ſe dimiſſuros, abſolutionem pro craſtinent, quoad emendationem proſpexerint*. Sed alia Accuſationis capita expendamus.

3 Pag. 97. redarguis Suarium docentem diſp.

diſp. 38. ſect. 3. cum S. Thoma, poſſe Confeſſarium imponere totam, vel ſaltem partem pœnitentiæ per modum conſilii, vel conditionatè hoc modo: *Si hoc feceris, ſit loco Pœnitentiæ Sacramentalis*. Ejus autem errorem, meum quoque eſſe dicis, quia eam Sententiam ita refero tom. 2. pag. 161., ut non impugnem, immo approbare videar, dum tom. 2. pag. 253. Suarii ſanctitatem, & doctrinam effuſiſſimè laudo. Hìc iterum gratulor mihi, quòd adeò nihil in me reperias, quod impugnes, ut cogaris aliena mihi attribuere, ut aliquid impugnare videaris. Ego verò non recuſo hanc cum Suario in ea doctrina communionem. Optima illa eſt, ingentium Doctorum, & ipſius D. Thomæ, cùm præſertim Suarius valdè caſtigatè eam doctrinam tradat. 4
Docet enim 1. *Confeſſorem per ſe loquendo teneri ſatisfactionem imponere*, & quidem præcipiendo, nam dicit poſtea, inde reſultare *obligationem ex genere ſuo gravem*. 2. *poſſe interdum ſine præcepto imponere, ſed applicare pœnitentiam ſi Pœnitens velit illam aſſumere, vel ſolum conſilium, ut faciat*. Et ad 2. in quò dicebatur, quod ſi ſatisfactio ſit neceſſaria Pœnitenti, debet præcipi, reſpondet, argumen-

tum non urgere, quia poteſt pœnirentia ita imponi, *ut aliqua pars ſub præcepto, alia ſine illo imponatur*. Ex quo patet id eſſe tantùm, quod ipſe docet hìc abſolutè, nempè ſaltem partem pœnitentiæ poſſe imponi ſine præcepto, vel eo modò, *sì hoc feceris ſit loco pœnitentiæ*. Demum quidquid doceat Suarius, ego certè id aſſerui eo in loco, quem notat Accuſator, nempe eam eſſe Suarii ſententiam, quod poſſit Confeſſarius, *vel totam, vel ſaltem partem pœnitentiæ* imponere ſine præcepto. Ergo quandoquidem dicit, id à me approbari, jam non approbo, quod liceat totam ſic imponere, ſed quod liceat ſaltem partem ſic imponere, quæ ſententia tutiſſima eſt, nec, ſi tribuantur D. Thomæ, eum dehoneſtat, ut dicit Accuſator. Quod autem addit *hanc doctrinam ſapere manifeſtum errorem, atque adverſari perpetuæ Eccleſiæ conſuetudini*, videtur majori notâ dignum. Quomodo enim ea ſententia talis ſit, quæ non ſolum modo communiter traditur, ſed tradebatur etiam ſæculo 16. à probatiſſimis Doctoribus, nempè Cajetano, Ledeſma, Victoria, aliiſque allegatis ab Henriquez de Sacr. Pœnit. l. 2. cap. 21. n. 5. inter quos Navarrus, vir in Doctrina præſertim Canonica

ſui

ſui ævi miraculum, & oraculum in Manuali quod Romæ recudit an. 1573. c. 26. n. 24. *Poteſt Sacerdos CONSULTIVE' imponere omnia bona opera, quæ facturus eſt Pœnitens, eaque injungere ſine nova obligatione ad illa; quam implendo tanquam pœnitentiam conſultivè injunctam, plus ſatisfaciet, quam ſine ulla injunctione ſatiſfaceret.* Et idcircò paulò ante docet eſſe utiliſſimam illam clauſulam additam abſolutioni, *Quidqnid boni feceris &c.* Quis audeat dicere, eam doctrinam ſapere manifeſtum errorem, & adverſari perpetuæ totius Eccleſiæ conſuetudini, quæ non ſolum eo ſæculo 16. tradebatur à tam multis probatiſſimis Doctoribus, ſed etiam ſæculo 15. ut quid communiter receptum tradebatur à D. Antonino per hæc verba, quæ habet in ſumma Confeſſionali part. 3. cap. 12. *Itaque, ut dicit Hoſtienſis, Confeſſor nullo modo debet permittere, peccatorum deſperatum à ſe recedere, ſed potius imponat unum Pater noſter, aut aliud léve, & alia bona quæ facit, vel mala, quæ tolerabit ſint ad pœnitentiam* nempè per prædictam clauſulam, da qua loquitur Navarrus, per quam certè nulla imponitur obligatio; ut non imponitur per conſilium. Ex qua S.

Antonini inſtructione patet, parum differre, *quoad diſciplinam*, eam ſententiam, quæ doceat totam pœnitentiam poſſe imponi per modum conſilii, ab ea quæ docet, ſic poſſe imponi ſolam partem, & alteram partem leviſſimam ſub præcepto; cùm leviſſimum onus ſit fere nullum, adeòque inutiliter ex iſto capite declamat Accuſator in eam ſententiam, quam ex aliis capitibus falſam judico. Loquendo autem de ea de qua modo loquimur, quæ docet ſaltem partem pœnitentiæ imponi ſine præcepto poſſe, tradebatur etiam ſæculo 13. ut pariter quid receptum, & tutiſſimum, à Beato Humberto aliàs laudando, cap. 46. ſuarum Inſtructionum, ubi ſic. *In Pœnitentia verò injungenda debet Confeſſor reminiſci, quod præter ea, quæ injungit ſpecialiter, imponat ei etiam omnia bona, quæ fecerit, in remiſſionem omnium peccatorum.* Quo additamento certè nulla imponitur obligatio, ut dicebam. Demum quomodo ſapit manifeſtum errorem, & adverſatur perpetuæ totius Eccleſiæ conſuetudini, id quod fundatur in ipſa conſuetudine Eccleſiæ, quæ à tempore immemorabili conſuevit impoſitæ pœnitentiæ velut in cumulum addere,

om,

omnia bona, quæ Pœnitens fecerit, per illa verba quæ recitat Confeſſarius, præſtita abſolutione, *Quidquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum* quibus quamvis non inducentibus ullam obligationem elevari bona opera, quæ poſtea facit Pœnitens, ad ſatisfactionem Sacramentalem, expreſsè docet S. Thomas Quodlib. 3. quæſt. 13.

Hìc autem pro nobis ſtare D.Thomam ne- 5
gat Accuſator pag. 99. ubi etiam dolet, quòd molles Caſuiſtæ qui ſumus, laxas noſtras opiniones mutilis, truncatis, obtorto collo ſumptis S.Thomę teſtimoniis oblinamus, quale dicit eſſe illud quod hìc petimus à prædicto S. Doctoris Quodlibeto. Conſulamus ergo illud, judicentque Lectores, quis ſit S. Doctoris mutilator, truncator, ac tortor. In prædicta qu. 13. laudati Quodlibeti, in diviſione materiæ tractandæ id primò tractandum proponit S. Th. *Utrum, ſi aliquis Sacerdos pœnitenti dicat, Quidquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum, ſit ſatisfactio Sacramentalis*. Non potuit quæſtio præſens proponi terminis magis formalibus. Incipit autem illam, ut ſolet, proponendo fundamentum ſententiæ contrariæ ſic. *Videtur, quod prædicta ſatisfactio non ſit*

Sa-

Sacramentalis &c. ergo ſententia contraria dicit non eſſe Saeramentalem, ergo ſententia ipſius D. Thomæ docet, eſſe Sacramentalem. Hinc proponens poſtea quod afferri poterat pro hac ſententia quam deinde amplectitur, ſic habet. *Sed contra. Illa videtur eſſe Sacramentalis ſatisfactio, quâ perfectâ, ad nihil aliud homo tenetur. Sed pœnitens, cui ſatisfactio injungitur à Sacerdote, nihil aliud tenetur implere, cum nihil ſit aliud ſibi mandatum, ergo hujuſmodi ſatisfactio eſt Sacramentalis.* Quid clarius dici poterat? In corpore autem, præmiſſa fuſa explicatione, & quadruplici diſtinctione pœnitentiarum, quarum aliqua imponitur infra meritum culpæ, alia ſupra meritum, quam etiam implendam eſſe docet; alia eſt expiativa virtute clavium, quia imponitur à Confeſſario, alia non, quia non imponitur; alia eſt expiativa culpæ præteritæ, alia præſervans à futura; alia impoſita arbitrio alieno, alia relicta arbitrio Pœnitentis, ita concludit, & quæſtionem propoſitam ſolvit. *Eſt ergo dicendum quod ſicut poteſt Sacerdos injungere ſatisfactionem pœnitenti ex arbitrio alieno, ita & ex arbitrio ipſius pœnitentis, ſicut ſi dicat, facias hoc ſi potes, & ſi non potes*

fa-

facias hoc. Quia verò per hoc non erat ſatis reſponſum quæſtioni propoſitæ, ſubdit immediate. *Et ſimiliter videtur, cum Sacerdos dicit, quidquid boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum*, ideſt in hoc etiam caſu imponit pœnitentiam arbitrio ipſius Pœnitentis relictam, & quidem relictam penitus ejus arbitrio, cùm non dicatur ei *fac aliquid boni*, *ſed quidquid boni feceris*.

Nec opponatur, ab D. Thoma hic ſolùm doceri, poſſe Confeſſarium relinquere partem Pœnitentiæ arbitrio Pœnitentis, impoſito onere, & obligatione præſtandi aliam partem, quam obligationem non imponit, qui imponit pœnitentiam per modum conſilii, adeòque doctrinam D. Thomæ non facere ad rem præſentem. 6

Nam primò S. Thomas in tota hac quęſt. non ſignificat ſe agere de eo qui partem pœnitentię relinquit arbitrio pęnitentis, ſed pręcisè de eo qui dicit *Quidquid boni fecerit &c.* ut colligitur ex illis verbis, *Sed contra &c.* Qui autem hoc dicit Pęnitenti nullam certè obligationem imponit, & in hoc equiparatur ei qui dat pęnitentiam per modū conſilii, quamvis non equiparetur in reliquis. Secundò, ſi D. Thomas agit 7

de

de eo Confeſſario qui ſolam partem pœnitentiæ relinquit arbitrio pœnitentis, ego ſimiliter ago de eo qui ſolam partem pœnitentiæ imponit per modum conſilii ; quare ut ille, ita ego obligo pœnitentem ad prꝑſtandam aliam partem pœnitentiæ, ergo par ratio quoad hoc.

8 Quia verò is modus imponendi pœnitentiam nimis benignus videri poterat, occurrit S. Doctor difficultati oſtendens, Pœnitenti virtutis infirmæ non eſſe imponendum grave onus Pœnitentiæ, aliaque addit quibus noſtram doctrinam mirè confirmat, & magis diſertè docet prædictam pœnitentiam arbitrariam omnium operum eſſe verè Sacramentalem. Sic ergo habet immediate. *Videtur autem ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret Pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, quia ſicut parvus ignis à multis lignis ſupoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere quod parvus affectus cantritionis in pœnitente nuper excitatus propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt, quod Sacerdos Pœnitenti indicet quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungeuda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſiat, ut*

ma-

majora impleat, quæ etiam Sacerdos injungere non attentaſſet, & hæc, quæ præter injunctionem expreſſam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit. Quidquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum. Unde laudabiliter conſuevit hoc à multis Sacerdotibus dici; licet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram, & quantum ad hoc, talis ſatisfactio eſt Sacramentalis, in quantum virtute clavium eſt culpæ commiſſæ expiativa, & per hoc patet reſponſio ad objecta. **Is** eſt finis totius articuli.

Nunc judicet Lector, quis hunc locum mutilarit, egone, qui cum Suario nullum Sancti Doctoris verbum attuli, ac proinde nec allegavi locum integrum, nec mutilatum, ſed ſolum numerum Quodlibeti, & articuli fideliter indicavi, an Accuſator, qui de toto articulo ea ſola attulit, per quæ S. Doctor propoſitæ quæſtioni non ſatis reſpondet. Et hoc facit (quis credat?) dum me nefariæ mutilationis accuſat.

Notet præterea Lector, quàm diſtent à 8
mente, ac doctrina Sancti Doctoris rigidi Inſtitutores. Hi dolorem nuper excitatum in

Pœ-

Pœnitente ſufficere negant, quia (inquiunt) non ita citò Peccator à peccato quod amabat, ad Deum convertitur, nec ita citò Deus placatur: at S. Doctor hunc dolorem ſatis eſſe ſupponit, & ita dolenti vult illico pœnitentiam imponi, & veniam tribui. Illi propoſitum exigunt diù probatum, & adamantinum, ut dicit Genetus, Sancto Thomæ ſufficit propoſitum quod periclitaretur, ſi Pœnitens gravi pœnitentia oneraretur, & ideo vult, ut etiam ille abſolvatur, cujus contritio *forte extingueretur* propter grave onus ſatisfactionis, ſi illi imponeretur.

Norit præterea, ambas illas Pœnitentias, quarum una imponitur per modum conſilii, altera imponitur per ea verba *Quidquid hac die boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum*, convenire non ſolùm in hoc, quod per neutram ulla obligatio imponitur, ut ſupra notavi, ſed in eo etiam, quod ſi una attollitur virtute clavium ad vim ſatisfactionis Sacramentalis, attollitur & altera, ac proinde aut utraque ritè, & cum fructu imponitur, aut neutra. Idque concedunt omnes. At S. Thomas manifeſtè, diſertè, ac rotundè docet ſecundam ritè, ſanctè, & utiliter imponi, ergo docet

docet ſic imponi etiam primam.

His benè perpenſis judicent ii ad quos pertinet, cujus culpæ reus ſit Accuſator meus, qui ſententiam per tot ſecula traditam diſertiſſimè à præſtantiſſimis Theologis Suario, Navarro, Ledſema, Sylvio, Victoria, Cajetano, Angelo, D. Antonino, B. Humburo, ac S.Thoma, inque ipſius Eccleſiæ utentis eâ clauſula *Quidquid boni egeris &c.* conſoetudine fundatam non dubitavit notâ Theologicâ tam inſigniter deturpare dicens. *Ego autem mordicus contendo illam, qua de agitur, doctrinam ſapere manifeſtum errorem, atque adverſari perpetuæ totius Eccleſiæ conſuetudini.* Mihi ſatis eſt oſtendiſſe, id etiam caput, ex quo me laxitatis accuſat, continere in omnibus quæ aſſerit, manifeſtam falſitatem.

Tertium caput, ex quo meam doctri- 9
nam moralem redarguit erroris, petit pag. 101. ex eo quod in meo Clerico Rom. to. 1. pag. 230. poſtquam diſſervi de Canonibus Pœnitentialibus Divo Baſilio attributis, ſic pronuncio de reliquis, præſertim de ſeverioribus. *Quod attinet ad alios Canones Pœnitentiales, negandum ſimiliter eſſe videtur, omnes in univerſum receptos fuiſſe, tanquam leges, &*

præ-

præcepta, quæ eas tam longas, tam plenas labore, & pudore pœnitentias omnino imponi mandarent, ſed potius tanquam regulas quaſdam, inſtructioneſque, ex quibus Confeſſarius agnoſceret majorem, aut minorem culparum gravitatem, & meritum. Id autem falſum eſſe dicit, quia, ſi non fuiſſent hi Canones vera præcepta, fuiſſet penes ſimplices Sacerdotes facultas temperandi eorum rigorem: hanc autem facultatem non fuiſſe penes ipſos, ſed apud ſolos Epiſcopos probat aliquot textibus, & primò Cypriani qui ep. 12. monet lapſos, pro quibus ſupplicaverant Martyres, ut expectent Concilium Epiſcoporum, in quo erat eorum cauſa diſcutienda, & *Martyrum litteræ examinandæ*. Secundò Concilii Niceni dicentis can. 2. *licet Epiſcopis humanius aliquid cogitare circa eos pœnitentes, qui lacrymis perſeverantibus, & operibus bonis converſionem ſuam demonſtrant*. Tertiò Sancti Leonis ep. 79. ubi idipſum dicitur. Hoc autem argumentum, quod vocat invictum, facillimè vinco, & interrogo Accuſatorem ſic arguentem, an ſit invictum hoc aliud argumentum. *Non eſt penes ſimplicem Confeſſarium facultas temperandi rigorem ejus legis, quæ*

bo-

homicidam damnat pœna capitis, non enim poteſt eum à tali pena liberare, & abſolvere, ſed id poteſt ſolus Princeps. Ergo ea lex obligat Confeſſarium, ac proinde ipſe tenebitur imponere ſuo Pœnitenti homicidium confitenti eam pœnam capitis. Quid ad hoc? Ridet? bene ridet, ſed fateatur dignum quoque riſu eſſe argumentum ſuum invictum, ut enim ea lex lata contra homicidam non reſpicit forum internum, ſed externum, ac proinde Confeſſarius eâ non arctatur, quamvis ejus rigorem temperare pro foro externo non poſſit, ita illæ leges, de quarum rigore temperando agitur in allegatis textibus, forum externum reſpiciebant, cùm agatur in illis de pœnitentia publica, aut etiam ſolemni, quæ imponi non poterat pro delicto occulto, & cognito per ſolam arcanam, & ſacramentalem confeſſionem, ut oſtendi in meo Cler. Rom. to. 1. diſp. 7. argumentis ſane invictis, quæ meus Accuſator vincere non potuit, nec tentavit. Et ſane quì fieri potuit, ut Confeſſarius teneretur Pœnitentibus ſuis graviora crimina confitentibus eas longiſſimas, publicas, & maxime aſperas pœnitentias imponere, aut ad Epiſcopum recurrere, imo expe-

ſtare Concilium, ut in loco cit. juſſit Cyprianus? Quì fieri potuit, ut Confeſſarii ſuorum omnium Pœnitentium graviores culpas, imo graves quaſcunque, ſi credimus Juenino, in confeſſione auditas, memoriâ retinerent, & rurſus ſcirent, quid poſt Confeſſionem agerent ſinguli Pœnitentes, quantum jejunarent, quantum vigilarent, ut penſatis lacrymis ſingulorum, & reliquis Pęnitentiæ laboribus, collatiſque cum culpa commiſſa, poſſent Epiſcopi, aut Concilium Epiſcoporum pęnitentiam impoſitam temperare, vel protrahere? Demum, vel Confeſſarii eos Canones plerumque obſervarunt, vel non. Si non, jam peccabant graviter, ſi ut dicitur, vim præcepti, & quidem gravis, cum materia graviſſima eſſet, habebant. Horret autem animus credere, fuiſſe ſemper ejus temporis tam celebrati Confeſſarios gravi culpa irretitos. Servarunt igitur eos canones, eaſque tam aſperas pęnitentias irrogarunt. Irrogatas autem vel facilè relaxarunt vel non. Primum dici non poteſt, nam perinde fuiſſet, ac eas non irrogare (idem quippe eſt pęnitentias non imponere, ac impoſitas ſtatim abrogare) totuſque rigor antiquus

adeo

adeo celebratus ſitus fuiſſe in imponendis pę-
nitentiis, non autem in eis peragendis. Igi-
tur eas non ralaxarunt facilè, ergo plerique
Fideles (nam pro omnibus fere delictis fuerè
illæ plurium annorum Pęnitentiæ taxatæ)
fuerunt ſemper in ſtadio Pęnitentiæ, plora-
runt ſemper in ſacco & cinere, jejunarunt
ſemper; vix enim expiato uno delicto, fuiſ-
ſet alterum expiandum, imo nec tota vita
pleriſque ſuffeciſſet, ut notat S. Anton. in
Summ. part. 3. cap. 12. Contra verò paucos
fuiſſe in quavis Eccleſia pęnitentes, omnia
antiquitatis monumenta teſtantur. Ergo
prædicti Canones vim præcepti pro foro ar-
cano Sacramenti non habuerunt.

Hoc argumentum unicam habet ſolutio-
nem, ſi nempe dicatur, pauciſſimos tunc ad 10
forum ſecretum hujus Sacramenti recurriſſe,
ac proinde facilè tam paucos fuiſſe per Con-
feſſarium, & Epiſcopum curatos, paucoſque
fuiſſe in Ordinem Pœnitentium cooptatos.
Hùc ergo ſpectat is ardor aliquorum obtru-
dentium perpetuò hos canones Pœnitentia-
les, eorumque uſum, & obligationem exag-
gerantium, nimirum, ut intelligant omnes,
frequentiam hujus Sacramenti rem novam

eſſe, Patribus ignotam, & inuſitatam, vix fuiſſe olim in Eccleſia uſum Confeſſionis auricularis, & vix aliam pęnitentiam fieri ſolitam, quàm publicam, ut tandem evincant cum Calviniſtis, nec ipſam pœnitentiam publicam fuiſſe Sacramentalem, ac proinde nullum eſſe Pœnitentiæ Sacramentum. Non is omnium qui hunc rigorem adamant, finis eſt, ſed is tandem erit hujus factionis, & ſectæ finis. Sed hoc etiam an verum ſit, videant alii. Satis mihi eſt quod oſtenderim, hac etiam ex parte Accuſationem continere manifeſtam falſitatem.

11 Pag. 104. cenſurę ſubiicit id quod aſſero to. 1. pag. 337. nempe *Myſterium Trinitatis quamvis in Scripturis contentum, latuiſſe olim ipſos Hebræos, ſacræ paginæ cuſtodes, Doctoreſque*, dicitque, hanc propoſitionem generalibus his terminis expreſſam eſſe omnino falſam, & contumelioſam Sanctis Patriarchis, & Prophetis, aliiſque Doctoribus veteris Teſtamenti.

Sed iterum gratias ago Accuſatori meo, qui dum non rem ipſam, ſed expreſſionem nimis ſubtiliter redarguit, ſatis oſtendit, ſe nihil ſolidi in meo illo Opere reperire, quod

ſit

ſit cenſurâ dignum. Patet enim, iis verbis *Hebræos ſacræ paginæ cuſtodes, Doctoreſque* non ſignificari ibi ſanctos illos Patriarchas, aut Prophetas qui fuerunt ſacri Verbi præcones, ſed ipſum Populum Hebræorum, & Scribarum vulgus, dictum ſacræ paginę cuſtodem, quia eis tradita fuerunt eloquia Dei, quæ tamen ipſi non intellexerunt, præſertim ubi innuitur myſterium Trinitatis, quod nec ipſis Chriſti diſcipulis poſt triennalem tanti Magiſtri inſtructionem, ante adventum Spiritus Sancti ſatis patuit, ut docet S. Gregorius Nazianz. orat. 2. Theol. quodque etiam nunc à toto Populo Hebræorum negatur. Igitur etiam hæc accuſatio eſt prorſus vana, & præterea non facit ad rem præſentem, nempe ad meæ Doctrinæ moralis errores revincendos, uti nec facit id quod ſequitur.

Nam pag. 105. id mihi vitio vertit, quod to. 2. pag. 58. & ſeqq. *odioſam comparationem inſtituam Confeſſarios inter Regulares, & Seculares promiſcuè*, monetque pro eo zelo charitatis, quo uritur, Cenſores Romanos, ut *hujuſmodi rixarum inter miniſtros Altaris fomentum tollant*. 12

Sed, væ illi, ſi Cenſores Romani velint

 ple-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

plectere qui rixas fovent, eiſque fovendis calamum acuunt, & veteres Ordinum Religioſorum diſcordias novis quotidie libellis, & hiſtoriis refricant, & exaſperant. Ego certè immunis ab iſta culpa tam fuerim, quam eſt D. Thomas, qui Quodlib. 3. art. 17. hanc ipſam comparationem, quæ modo odioſa vocatur, inſtituit. Is enim articuli titulus eſt. *Utrum Presbyteri Parochiales ſint majoris perfectionis quam Religioſi*. Hanc autem quæſtionem fuſiſſimè tractat, eidemque comparationi ſemper inſiſtens concludit, eſſe perfectiorem ſtatum Religioſorum, quam Plebanorum.

13 At, inquiet, opus tunc erat hujuſmodi rerum tractatione, cùm Religioſi paſſim in invidiam vocabantur, & mille calumniis appetebantur. Opus tunc fuerit iſto remedio. At cur non etiam modò, cùm veluti quadam conſpiratione multorum, indictum Regularibus bellum videtur; cùm eorum privilegia etiam non revocata, tanquam contraria Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cum ingenti Sacræ Sedis injuriâ conculcantur; cùm Romanorum Pontificum Conſtitutiones, quæ ipſis minùs favere putantur, tanquam Cœlo de-

demiſſæ, ut verè ſunt, recipiuntur, promulgantur, inviolatè ſervantur, quæ verò ſa: vent, ſupprimuntur, & arreſtantur, cùm Regularium ſacri ſuniculi, corrigiæ, ſcapularia, ſodalitia, fomenta ſuperſtitinis vocantur, cum ſacra Regularium Theologia, quæ fuit ſemper eritque inſtructiſſimum contra errores, & hæreſes armamẽtarium, otioſa jam, & inutilis verborum, cogitationum, & idearum ſcientia vocatur, cum illæ propoſitiones ſpargũtur in vulgus, quas Alex. VIII. proſcripſit *Confeſſiones apud Religioſos factę pleręque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione obquæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.* Igitur tam innocens hac in te ego ſum, & immunis ab omni culpa, ut eſt D. Thomas ſimilem quæſtionem inſtituens, ergo (quòd propoſui ſemper probare) hæc etiam accuſatio continet manifeſtam falſitatem.

Pag. 107. Me redarguit erroris, quòd to. 2. pag. 81. aſſero, olim Theologos, & quidem primæ notæ, nempe Scotum, Gabrielem, Medinam, Sylveſtrum, alioſque, 14

& Canoniſtas præclaros, docuiſſe, Pęnitentem non teneri ad acceptandam pęnitentiam. Me autem errare dicit 1. quod Scoto per calumniam attribuam hanc doctrinam. 2. quod dem anſam Hæreticis negandi Traditiones ſacras, *ſi enim* (inquit) *ſemel Calvinianis, & Lutheranis damus, Theologos, & Canoniſtas, & quidem primæ notæ aliquo ſæculo errare omnes, aut ferè omnes, ruat oportet venerandæ Traditionis robur*. Prædictum autem eſſe gravem errorem probat, ac tandem relinquit Scotiſtis munus vindicandi ſuum Scotum ab impacta calumnia.

Verùm, ſi hujus calumniæ reus ſum ego, rei quoque mecum eruut omnes fere ſcholæ Thomiſticæ, & Scotiſticæ Doctores. Nam Hiqueus celebris Scoti Commentator exponens Scoti doctrinam in 4. ſent. diſt. 19. q. unic. nu. 27. quamvis eam benignè interpretetur, fatetur tamen prædictam opinionem attribui Scoto *communiter à Doctoribus utriuſque Scholæ*. Quin & ipſe Jvenin, ille tam ſępe laudatus ab Accuſatore meo, eique percarus Theologus, erit ejuſdem calumniæ reus, nam & ipſe pag. 673. non ſolum id aſſertum à Scôto concedit, ſed addit hæc verba. *Id aſſervit Scotus*

tus ſine Traditionis authoritate, imò & contra ipſam Traditionem. Hunc ne damnet: cogetur Accuſator me abſolvere, & ſe manifeſtæ falſitatis, veræque in me calumniæ reum fateri, nec tantùm in hoc, ſed etiam in eo quod aſſerit ſecundo loco, nempè per me Traditionum robur infringi. Nam idem Jvenin in loco citato, probans, Pœnitentem teneri injunctam ſibi à Sacerdote ſatisfactionem acceptare, non negat, ut ſibi objicit, Scotum, & cum eo Gabrielem, & multos alios antiquos Scholaſticos contrariam ſententiam tueri. Jam ergo & ipſe dat anſam Hæreticis convellendi Traditiones antiquas. Igitur aut utrique rei ſumus, aut neutri. Utrique non ſumus, ut arbitror, ergo neutri. Et ratio ea eſt, quod ita illius opinionis, aut erroris patronos fuiſſe dicimus aliquot antiquos, eoſque præſtantes Doctores, ut tamen contra eoſdem pro veritate pugnarint alii multi, nec famæ minoris, nempè D. Thomas qu. 1. a. 3. qu. 3. Halenſis a. p. q.24. Membr.4. a.3. aliàs q.64. S. Bonav. in Confeſſionali c.4. Durand. d.17. q. 2. & 3. Richard. a.2. q. 5. Palud. d. 20. q. 2. in fine. S. Anton. 3. p. t. 18. c.19. aliique. Non igitur Traditiones convellimus, aut aliis, ut eas

co-

convellant, anſam damus, quam ut ipſe Accuſator docet, is ſolus dat *qui omnes, aut ferè omnes alicujus ſæculi primæ notæ Theologos, & Canoniſtas erraſſe concedit*. Viderint Doctores rigidi, an ipſi hujus culpæ rei ſint, qui dum circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ praxim ſtatuunt prorſus contrariam ei quam omnes Doctores per tot ſęcula tradidere (ut oſtendi in meo Clerico Rom. & ampliùs oſtendam ſuo loco) jam omnes tot ſęculorum Doctores, ipſamque cum eis Eccleſiam erraſſe dicunt, aut dicere coguntur. Viderit Accuſator meus, an ipſe præ reliquis ſit hujus culpæ inſimulandus, dum Inſtructiones de Officiis Ordinis Prædicatorum à tota prorſus antiquitate, ab omnibus prorſus Scriptoribus, ab indubitata totius Ordinia traditione qui eas Inſtructiones Conſtitutionibus ſuis adnexuit, B. Humberto, quinto ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali attributás, ſolus ipſe, nulli valido fundamento innixus, ut ſuppoſititias, omnique prorſus authoritate carentes rejecit. Sed de hoc in fine cap. 5.

15 Pag. 108. dicit, contendere me tom. 2. pag. 166. quod peccatores in gravia ſcelera prolapſi haudquaquam peccent, ſi confeſſio-

nem

nem differant ad longum tempus. Hanc autem doctrinam videri laxam dicit 1. quia graviores Theologi ſecùs opinantur, citatque S. Bonaventuram qui in 4. Sentent. diſt. 17. qu. 2. punc. 2. dicit. *De his generaliter aſſerere, quod poſſunt uſque ad Paſcha differre, videtur periculoſum*, & S. Thomam qui in 4. Sent. diſt. 17. q. 3. a. 1. quæſtiunc. 4. dicit. *Non videtur verè contritus qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum*, additque, ſe non allegare, ut poſſet *alios permultos magni nominis Theologos hac de re ſecum ſentientes ne ſit immenſus*, 2. quia lex naturalis dictat reconciliationem cum Deo non eſſe differendam, 3. quia qui ſic differt Sacramentalem Confeſſionem, morali ſalutis periculo ſe exponit, proindeque peccat.

In hac accuſatione dupliciter errat Adverſarius. Et primò errat in referendo: nunquam enim ego *contendo* docere illud, ut ipſe refert. Nam contendere in aſſerendo eſt illud aſſerere, & rurſus eſt afferre argumenta ad illud probandum, & conari illud aliis perſuadere. Ego autem nihil horum facio, ſed ſolum obiter, & curſim ſuppono illud aſſeri ab aliis, & eſſe verum. Ut enim oſtendam, 16

dam, aliquando Oratores ſacros, & Concionatores invehi in aliquid terminis valde ſignificantibus, ac ſi malum eſſet, quod verè non eſt malum, ſed ſolùm eſt aliquo modo periculoſum, ſeu minùs tutum, affero exemplum eorum qui invehuntur in peccatores eo quod *poſt peccatum confeſſionem differunt ad longum tempus, perinde rem omnino neceſſariam omittant, dicuntque non ſemel, imò perpetuò inculcant, debere cum qui peccarit, quamprimùm ad Confeſſionem convolare, quamvis ſciant nullum dari præceptum obligans peccatorem ad ſtatim confitendum, & ſatis eſſe culpam ex Divino amore deteſtari, niſi aliunde quis teneatur ſtatim confiteri. ut, ſi peccator ſit in mortis articulo conſtitutus.* Qui ſic loquitur, non aſſerit eam dilationem licere, non *contendit*, quod liceat, ſed ſolum ſupponit id aſſeri communiter, & verè ſupponit: nam verè id aſſeritur communiter à Doctoribus.

17 Hinc errat 2. aſſerens, hanc opinionem videri laxam, & eſſe à gravioribus Doctoribus, rejectam. Nam quomodo laxa eſt, & & ita rejecta ea opinio, quæ eſt omnium, ſi unum, vel alterum excipias. Docent quidem multi, teneri eum qui peccavit, ſtatim

uti

uti aliquo remedio, nempe vel contritionis, vel Confeſſionis, quod ipſum multi negant iique graviſſimi Doctores, Durandus, Jo: de Medina, Adrianus, Sotus, Canus, Henriquez, Conink, Suarez, Vaſquez, Caſtropalaus, de Lugo, &c. Nemo autem, uno, vel altero excepto, docuit, ſtatim, aut intrà breve tempus teneri peccatorem uti hoc determinato remedio Confeſſionis. Si mihi fidem habendam non putat Accuſator meus, credet abſque dubio Juenino ſuo qui pag. 631. edit. Lugd. hanc queſtionem tractans, non potuit alium Doctorem afferre pro ſententia damnante eam dilationem Confeſſionis, quam Guglielmum, & aliqua ex parte S. Bonaventuram. Dixi aliqua ex parte: nam ſolos Religioſos S. Bonaventura ad celerem poſt peccata Confeſſionem obligavit, ut fatetur idem Juenin, qui in loco citato ſic habet. *Nec obeſt, quod nonnulli reponunt ex S. Bonaventura, Sanctum ſcilicet Doctorem cenſuiſſe quemque lapſum ſtatim ad Confeſſionem teneri. Nam nuſquam id docuit S. Bonaventura ſaltem de laicis hominibus. Sic enim loquitur in 4. ſent. diſt. 17. p. 2. a. 2. Aliter cenſendum de Religioſo, aliter de Laico. Nam Religioſo totum tempus vitæ eſt tempus pœnitentiæ,*

tiæ, & ideò habita copia Sacerdotis, ſi peccavit mortaliter, credo quod tenetur ſine mora confiteri, & ad ipſum recurrere. Laicus verò poteſt rationaliter expectare tempus Quadrageſimale, quod eſt tempus pœnitentiæ. Longior dilatio concedi non poterat, eamque concedunt reliqui Doctores,& quidem omnibus,qui mortaliter peccarunt. Nam ea diſtinctio Religioſi à laico in hac re rejecta communiter fuit. Igitur S. Bonaventura mihi magis favet, quam Accuſatori.

18 D. autem Thomas adeò non obligavit ſtatim peccatorem ad Confeſſionem, ut vix obligarit ad contritionem, de qua agit in loco, quem allegat Adverſarius. Nam licet ibi doceat teneri peccatorem ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, ſubjungit, *Cum præcipuè in periculo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione peccatum oporteat eum incurrere.* Et in reſponſione ad 2. ait. *Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, quod ſtatim Medicum quærat, niſi quando neceſſitas curationis incumbit, & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali.*

Cùm ergo, excepto uno, vel altero, nemo faveat Accuſatori meo, quis non mi-

retur

retur ejus præſidentiam dicentis, ſe non alle- gare, *ut poſſet, alios permultos magni nominis Theologos, ſecum ſentientes, ne ſit immenſus?* Reliqua duo argumenta, quæ affert, id probant ad ſummum, non eſſe differendam contritionem, non verò eſſe ſtatim confitendum.

Duo argumenta ego affero petita ex ipſa ſchola rigidiorum Magiſtrorum. Docent 19
hi, cum laude differri Pęnitentibus in gravem culpam delapſis abſolutionem, & quidem diu, imo Eccleſiam veterem eam diſtuliſſe per annos, ergo eſt etiam licitum Pęnitenti differre confeſſionem. Hinc iidem laudant eum pęnitentem qui antequam Confeſſario ſe ſiſtat, *diù* lacrimis indulget, & variis Pęnitentiæ laboribus Deum ſibi propitium facit. Laudant ergo, quod Confeſſionem differat ad longum tempus, ergo docent licere ſic differre.

Nec dicant licere quidem differre ex hoc fine, ſed non ex impœnitentia. Nam hoc ſolùm probat non eſſe differendam pęnitentiam, ſeu contritionem, quod concedo.

Hinc affero alterum argumentum ſimili- 20
ter ex certa apud eoſdem doctrina petitum.

Li-

Licet Catechumeno differre Baptiſmum per aliquot menſes ad hunc finem, ut ſe magis diſponat, & in hunc finem Eccleſia vetus, ut dicunt, diu Catechumenis etiam inſtructis, & petentibus Baptiſmnm differebat, ergo licet etiam peccatori lapſo poſt Baptiſmum differre ſuſceptionem Sacramenti Pęnitentiæ, ut ſe ei recipiendo magis diſponat, ergo non datur obligatio non differendi in longum tempus Confeſſionem, dummodo interea peccator ſatagat per contritionem in Dei gratiam redire.

Igitur Accuſator meus ab omnibus Doctoribus non rigidis deſeritur, & à rigidis, aut deſeritur, aut deſeri debet, ſi nolint ſibi contradicere. Et tamen non dubitat aſſerere, pro ſe pugnare Doctores tam multos, ut omnes recenſere ſit labor immenſus, & infinitus.

21 Pag. 110. dicit à me tradi hanc doctrinam to. 2. pag. 192. nempe, *Scandalum quod in ſalutis diſcrimen pertrahit certò adoleſcentem hud eſſe fugiendum morali, qua par eſt diligentia*. Ita ipſe refert, & infideliter refert. Hanc enim doctrinam, nec ibi, nec alibi trado. Sed ſolum non contradico dicenti, quod ado-

adoleſcens delicatus, & ſubjectus ſuis parentibus non tenetur clam domo aufugere, & ire profugus, & mendicus, ut liberet ſe occaſione proxima peccandi, in quam conjicitur ex pravis ſui fratris incitamentis. Et rogo primò, an quicunque non contradicit, dicat, & doceat? Rogo 2. an docere, quod adoleſcens delicatus non teneatur eam fugam inſtituere, ſit idem, ac docere, quod non teneatur ſcandalum, & periculum certum fugere morali, qua par eſt, diligentia? Ecquis non videt, quam diverſa hæc duo ſint? Hoc ſecundum vix laxiſſimi permittunt. At illud primum vix rigidi DD. exigunt. Imo fortè nec exigunt. Hinc Merbeſius, Jueninus, & alii ejuſdem ſcholæ non obligant ſtatim fratrem aut ſororem eò miſeriarum redactos clam fugere domo paterna, ſed alia priùs mitiora remedia tentare. Nec, ſi ea non proſint, cogunt adoleſcentulum, aut viguncu-lam ire mendicam, & profugam, nempè remedium adhibere, quod ſit morbo ipſo deterius, & magis periculoſum.

Pag. 110. dicit, à me approbari tom. 2. pag. 272. eam Suarii propoſitionem. *Non oportet, ut Confeſſor ſibi perſuadeat, & judicet*

etiam probabiliter, ita eſſe futurum, ut Pœnitens à peccando abſtineat, ſed ſatis eſt, ut exiſtimet, nunc habere tale propoſitum, quamvis poſt breve tempus illud ſit mutaturus. Hanc autem propoſitionem dicit eſſe contrariam doctrinæ Tridentini, ac Divi Caroli qui (ut ſupra monui) in ſuis Inſtrumentibus ſic habet. *Confeſſarios monitos volumus, ut iis quos peccata non dimiſſuros prababiliter exiſtimabunt, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant, ea ſe dimiſſuros, abſolutionem procraſtinent, quoad emendationem perſpexerint: nec non iis qui per multos annos in eadem peccata prolapſi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint*.

Sed Accuſatori incumbit probare, quod aſſerit, niſi velit ipſe de calumnia judicari. Oſtendat igitur primò, quod ea Suarii doctrina opponatur Tridentino. Id autem nunquam oſtendet, cùm nunquam doceat Tridentinum, requiri in Confeſſario, ut ritè abſolvat, eam perſuaſionem, vel opinionem. Vult quidem in Pœnitente dolorem, & propoſitum non peccandi, & utrumque vult, innoteſcere Confeſſario, ut rite abſolvat. At utrumque poteſt pœnitens habere, utrumque poteſt innoteſcere Confeſſario, quin is ha-

habeat eam perſuaſionem, ſeu opinionem. Non enim illud connectitur cum hoc, ut patet. Hinc ſanctiſſimè abſolvimus confitentes venialia, eoſque ſupponimus habere verum propoſitum, & dolorem, nec tamen putamus, eos non eſſe amplius in ea peccata lapſuros, imo putamus oppoſitum.

Nec ſimiliter unquam oſtendet, eam Suarii doctrinam opponi Inſtructionibus Sancti Caroli, qui non exigit eam in Confeſſario perſuaſionem, ſeu opinionem, quod Pœnitentes à peccando abſtinebunt, nempè à committendo gravi peccato, ſed quod ſint tandem emendaturi ſuam vitam in melius, ac dimiſſuri ea tot peccata, quæ afferunt; hinc innuit eſſe abſolvendos eos relapſos, qui *operam aliquam ad correctionem vitæ contulerint*.

Et ſanè, ſi ad abſolutionem rite præſtandam, eſſet neceſſarium habere eam perſuaſionem, quod Pœnitens à peccando abſtinebit, vix poſſemus unquam abſolvere, præſertim ſæculares, & juvenes, cum raro habeamus eam perſuaſionem, quod toto vitæ tempore ab omni culpa lethali ſe continebunt: Nec profectò hanc perſuaſionem ha-

bebunt rigidi Doctores, quamvis in menſes, & annos differant abſolutionem, ac proinde nullum, aut vix ullum ex prædictis unquam abſolvent. Ea igitur Suarii doctrina, quæ videbatur laxa & falſa, eſt ita vera ac tuta, ut oppoſita videatur digna cenſura, à qua tamen abſtineo contentus id ſolum oſtendere, quod propoſui demonſtandum, nempè omnia capita, unde accuſor, continere manifeſtam falſitatem.

22 Pag. 111. dicit, me reum eſſe violati decreti Alexandri VII. prohibentis taxari alicujus cenſuræ Theologicæ, alteriuſvè injuriæ, aut contumeliæ notâ eam ſententiam, quæ requirit in Sacramento Pœnitentiæ amorem Dei inchoatum. Sed reſpondeo illud decretum non loqui de hac ſententia, quam ego impugnavi in meo Clerico Rom. tom. 2. pag. 277. nempe requirente talem amorem Dei inchoatum, qui eſt amor Dei propter ipſum Deum, & ſuper omnia, adeòque veriſſima charitas, quam non requiri in eo Sacramento docet Tridentinum, ut ante Janſenium omnes, aut fere omnes Doctores tradiderunt, ut oſtendo in meo Tract. *de Dolore &c.* ſed loquitur prædictum decretum de ea ſententia,

quæ

quæ requirebat in eo Sacramento *aliqualem dilectionem Dei*. Hæc enim ſunt verba decreti. *Sanctitas ſua enixè cupiens &c. præcipit cunctis &c. ne audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſvè injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metn gehennæ concepta, quæ hodiè inter Scholaſticos communior habetur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem*. Patet autem quòd non omnis dilectio Dei etiam benevola, & propter ipſum Deum eſt vera & formalis charitas in ſenſu ſcripturarum, & Theologorum, nempe amor Dei qui ſit propter ipſum Deum, & præterea ſit *ſuper omnia*.

Pag. eàdem & ſequẽti damnat eam meam 23
propoſitionem, quam habeo to. 2. pag. 302. nempe fortè ſalvari plures modò quam olim, cùm, ſi vera ſunt quæ dicunt Adverſarii, adeò ſeverè tractabantur Pœnitentes. Et pag. 113. aliam ſimileni, qua paulò poſt aſſero, præſenti benignitate fieri, ut populi Paſtores ſuos diligant magis, quam olim, cum Epiſcopi, & Parochi adeo ſeverè, ut ab iiſdem dicitur, animadvertebant in Pœnitentes. Inde ſubjicit ironicas exclamationes. Sed Accuſator

exclamans, & irridens, & nihil probans, cùm probare debet, calumniæ convincitur, & falſitatis manifeſtæ, cum præſertim ibi nihil certò definiam, & *fortè* ita contingere dicam.

24 Pag. 114. me redarguit, quod to. 2. pag. 343. recenſeam inter rigidas, & falſas ſententias eam, quæ docet, debere peccatorem confiteri peccatum, quod probabiliter, non tamen certò abſtinuit. Sed hìc Accuſator confundit obligationem confitendi peccatum quod quis probabiliter commiſit, cum obligatione confitendi peccatum quo quis probabiliter, abſtinuit. Sententiam quæ primam obligationem adſtruit, non rejeci unquam, nec unquam illam, aut rigidam, aut falſam eſſe dixi. Imò non ſolum cenſeo, dari præceptum confitendi peccatnm quod probabiliter eſt commiſſum, ſed etiam dari præceptum confitendi peccatum dubium. Negavi tantùm, dari præceptum confitendi peccatum, quod probabiliter non commiſi, licet hujus rei certitudinem non habeam. Nullum autem Doctorem ex innumeris quos habemus ex doctrina morali celebratos, afferet qui negarit hanc probabilitatem ſufficere,

cum

cum præſertim pro altera parte quis habet ſolum dubium negativum. Et ſanè, ſi tenerer confiteri peccata etiam cùm opinor, me minimè ea commiſiſſe, quia videlicet id ſolum opinor, non autem certò ſcio, innumera tenerer confiteri e.g. opinor me minimè pejeraſſe, quia non recordor quod hoc fecerim, quia verò certus non ſum, fortè enim memoriâ excidit, jam tenerer confiteri, ac dicere, *fortè pejeravi*, & ſic de innumeris, quod tamen nullus ſapiens affirmabit.

Tandem pag. 115. me accuſat, quod eodem to. 2. pag. 343. recenſeam ſimiliter inter ſententias rigidas, & falſas eam quæ docet, debere Pœnitentem confiteri circumſtantias inſigniter augentes.

Sed hìc etiam manifeſtæ falſitatis con- 25
vincitur, nam ibi ſolùm ago de ſententia docente, dari obligationem confitendi quaſvis circumſtantias augentes, ſivè inſigniter augeant, ſive parum. Enumerans enim quæ ſequantur, ſi verè detur præceptum faciendi ſemper quod tutius eſt, ſic dico. *Erunt manifeſtanda peccata, quæ licet non faciant peccatum diverſum faciant tamen majus*. Dixi *majus* non autem *inſigniter majus*. Et quandoquidem,

ipſe Accuſator pag.97. dicit meam doctrinam eſſe eam quam refero traditam à Suario, & non impugno, jam ego doceo, teneri cum, qui peccavit, confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes, quandoquidem pag. 248. refero ſic docuiſſe Suarium, nec eum impugno, imò laudo. Igitur hìc operam perdit, dum hanc obligationem fusè ſtabilire contendit; quod ſæpiſſimè facit, Doctorem agens, dum nihil opus eſt ejus Doctrinâ.

26 Hæc pauca, quæ cavillando redargueret, reperire potuit in duobus tomis mei Clerici Romani Accuſator nec æquus, nec benignus; eaque, vel à me nullo modo dicta, vel ſolùm dicta ab aliis, quorum ſententias refero, & ſuppono, tanquam communes, certas, & tutiſſimas, ut verè ſunt, nec pertinentes, ſaltem omnes ad Sacramentum Pœnitentiæ, & rurſus in elencho laxitatum, & corruptelarum ad Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem pertinentium, quem proponit toto capite, ſeu obſervatione 9. nullam mihi ex tam multis propoſitionibus laxis attribuere potuit. Et tamen non eſt veritus in ipſa libri fronte me appellare tanquam reum convictum, & manifeſtum, *laxioris in admiſtrando*

Sa-

Sacramento Pœnitentiæ diſciplinæ Magiſtrum, & in Præfatione, *molliſſimum Pedagogum*, *effrenem Clerico Romano laxitatem inſtillantem*, *palponem inſtitutorem*, & *Clerici Religioſiſſimi corruptorem*, meam verò doctrinam, quam toto eo opere oſtendo eam ipſiſſimam eſſe, quam tradidit ſemper Eccleſia, & ut optimam propoſuit Beatus Humbertus à me allegatus tom. 2. diſput. 4. non dubitavit appellare *funeſta conſilia*, *laxioris Doctrinæ monſtra*. Sic autem pronunciat contrà veritatem, juſtitiam, & Charitatem, qui rigidiorem Doctrinam profitetur, qui zelo veritatis, juſtitiæ, & charitatis incenſus, ut videtur, in omni fere ſui libri pagina, quà Romanorum Cenſorum, quà ipſius Romani Pontificis fidem obteſtatur, & curas ſollicitat, ut iniquos libellos proſcribant, & calamos linguaſque tam procaciter bonorum famam proſcindentes freno aliquo duraturo caſtigent. Id oro etiam ipſe promptus ſubire pœnam ſi pecco, nec cupidus alienæ pœnæ, ſi alter peccavit.

CA-

CAPUT II.

Secunda Accuſatio ficti, affictique Rigoriſmi diſiicitur.

HÆC nimirum eſt altera Accuſatio, quam præfert accuſantis Libelli prima frons, in qua vocor *Commentitiæ Rigoriſtarum Sectæ, fictitiarumque in Eccleſiam veterem, ac recentem calumniarum impugnator*. Hæc autem accuſatio ficti affictique Rigoriſmi triplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt, quod Rigoriſmum fingam, perindè, ac ſi is error in Mundo non ſit. Alter ſenſus eſt,quod fingam alium Rigoriſmum ab eo qui eſt, ac proindè non impugnem verum Rigoriſmum, ſed alium fictum. Tertius ſenſus eſt, quod quamvìs, & Rigoriſmus exiſtat, & is ſit quem ego deſcribo, & impugno, eum tamen non profiteantur illi, quos ego hujus culpæ redarguo, ac proide eis Rigoriſmum affingam.

1 Antequam primam hujus accuſationis partem diſpellam, moneo, conſueviſſe ſemper Bajanos, & Janſenianos negare quod ul-

lus

lus uſpiam ſit, aut Bajaniſmus, aut Janſeniſmus, quod fortè à nulla alia ſecta ita factum fuiſſe traditur. Lutherani Lutheranos exiſtere fatentur,& Lutheraniſmum ſuum profitentur. Nec ſimiliter Calvaniſtæ Calvaniſtas dari negant, aut verum Calviniſmum in Calvini libris reperiri. Id ſoli, aut præ reliquis omnibus fecere Janſeniani, hinc illa tam fræquens in eorum libris jacta in Jeſuitas recriminatio, Janſeniſmum nihil eſſe aliud, quam phantaſma Jeſuitarum fingentium hoſtem, quem feriant, ut habeantur hæreſum expugnatores. Attributas verò Janſenio propoſitiones, aut in Janſenii libris eas reperiri, aut in ſenſu damnato, negarunt ſemper, quod ipſum de doctrina Baji, undè Janſeniſmus prodiit, dixere Brajani. Hinc ejus operum collector recenſiſſimus Bajo addictus part. 2. pag. 223. edit. Colon. ſic habet. *Advertendum* 4. *quod ex illis ſeptuaginta ſex ſententiis, quæ Michaeli Bajo adſcriptæ ſunt, pluſquam ſexaginta falsò ſunt illi impoſitæ, ac vix quatuordecim in ejus operibus aſſertæ leguntur. Immò inter eas, quæ ipſi calumnioſè adſcriptæ ſunt, decem numerantur, quæ à Michaelis Baii mente prorſus alienæ ſunt*. Illud etiam ſæpiſſimè conqueſti

ſunt

ſunt utrique, nempè vitio Jeſuitarum multos audire Bajanos, & Janſenianos, quamvìs ſint incorruptæ Doctrinæ profeſſores. Quare mirum non ſit, idem de Rigoriſmo, quæ eſt Doctrina moralis præſertim Janſeniſtarum, dici à Janſeniſtis, eandemque à meo Accuſatore occini cantilenam, aut paulò diſſimilem.

2 Non enim audet aſſerere, fuiſſe nunquam id genus hominum, hanc ſectam, hunc errorem, ſed penè jam deſijſſe. *Jam penè malum extinctum eſt* (inquit pag. 19.) *Quorſum ergo vetera odia repetere, & ſopitam quæſtionem redintegrate?* Vtinam penè extinctum ſit tantum malum. Certè, cùm eos libros ſcripſi, vigebat. Edidi ſiquidem illos, antequam CLEMENS XI. qui nunc feliciſſimè, ſanctiſſimeque præeſt Eccleſiæ univerſæ, ſuam Conſtitutionem ederet contra eos qui *Janſenii doctrinam quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia univerſalis exhorruit, interius abjicere, & corde improbare detrectant*: nempè contra Janſenianos, & quidem qui tunc erant: hinc in eadem Conſtitutione relatis præcedentium Pontificum contra eandem Janſenii hæreſim Conſtitutionibus, ita Pontifex ſubdit. *Sic equidem cauſa finita eſt*,

non

non tamen ſic, ut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus: Neque enim defuere, nec adhuc deſunt homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes &c. Erant igitur alicubi, cum ſcripſi, veri Janſeniſtæ; nec illi quidem pauci, ſed potius benè multi: tùm quia eorum doctorina ibidem paulò poſt vocatur *morbus exitialis, qui ut cancer ſerpit, & quotidiè in deterius vergit*, tùm quia dicit ibidem Pontifex, ſe eam Conſtitutionem edere *quamplurimorum Venerabilium Fratrum diverſarum partium, ac præſertim Regni Galliarum Epiſcoporum zelo, ac precibus excitatum: ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ pacem ſubvertere impunè pergant*. An multi non ſunt, & benè multi illi qui vim habent perturbandi Eccleſiæ Catholicæ pacem, qui in tam multis partibus ſunt, & movent quamplurimos Epiſcopos vaſtiſſimi Galliarum Regni, & aliarum diverſarum partium ad quærendum efficax à Sancta Sede remedium? Hi autem certè ſectam faciunt, cùm eundem omnes errorem profiteantur, & in eundem finem conſpirent. Eorundem præterea numerum, errores, conſpirationom, concordiam

in fraudibus & conſiliis detexit liber editus Buxellis anno 1704. cui titulus *Cauſa Quæſnelliana*, imò detexere potius ipſorum quæ ibi recitantur literæ quaquà verſus ad ſocios miſſæ.

3 Eſt igitur indubitatum, quod, cùm eos libros ſcripſi, erat in mundo vera ſecta Janſeniſtarum, ergo erat etiam ſecta Rigoriſtarum. Quamvis enim, ut non ſemel monui, non omnes Rigoriſtæ ſint Janſeniſtæ, omnes tamen Janſeniſtæ Rigoriſtæ ſunt, nec ullus eſt, aut fuit unquam, qui id in dubium vocarit. Et confirmat Ludovicus Bail S. T. Doctor, & Pœnitentiarius Pariſienſ. in addit. ad ſummam Conciliorum tom.2. claſſe 6. pag.811. col. 2. ubi relatis Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. adverſus quinque propoſitiones Janſenianas, diſſertationem habet prolixam de ſtudio reformandi Theologiam Moralem tunc denique feriò ſuſcepto à Janſenianis, cùm videlicet viderent condemnatam doctrinam ſuam circa gratiam, & libertatem, ut *arguerent de minimè ſana doctrina in moribus eos, à quibus arguebantur de Fidei erratis*.

4 Idque etiam conſtare videtur à poſteriori,

ri, nempè ex libris, ac Theſibus aliquot Doctorum, quorum doctrina etiam modò approbatur à multis, ſi ergo eorum doctrina rigidior eſt, jam rigidior doctrina, ac proindè Rigoriſmus multorum eſt. Hi Doctores à multis laudati, ſunt abſque dubio in Galliis Bonus Merbeſius, Gaſpar Jvenin, Antonius Arnaldus. In Belgio Gummarus Huighens, Macarius Havermans, Ægydius Gabrielis, & Joannes Opſtraete. Habent hi quidem Adverſarios multos, imò pleroſque, ſed habent etiam laudatores multos, inter quos eſt abſque dubio Accuſator meus qui in hoc ipſo ſuo libello, quo me deprimere conatur, attollit Huighenium, Jveninum, Arnaldum, laudaturus etiam reliquos, ſi reliquos etiam in meo Clerico Romano nominaſſem, impugnaſſemque.

Horum autem aliquot propoſitiones pertinentes ad materiam, de qua modo diſputamus, afferam, non tanquam Cenſor, ſed ut ex illis judicet Lector, aut alii, ad quos pertinet, an ſit aliqua in ſcholis, & ſcriptis juſtò rigidior doctrina.

Ali-

Aliquot Boni Merbeſii Propoſitiones.

VEri nominis Contritio, ſeu converſio cordis ad Sacramenti valorem neceſſaria Dei ſuper omnia dilectionem exigit. In ſumma Chriſtiana tom. 2. pag. 37. col. 1. edit. Pariſ. & quamvis poſtea dicat, ſufficere dilectionem Dei initialem, ſeu inchoatam, & non perfectam, ſignificat præcisè, non requiri dilectionem intenſam, cæterùm veram charitatem Theologicam requirit. Conſtat enim, quod charitas etiam remiſſa eſt vera charitas Theologica, ſicuti calor remiſſus eſt verus calor. Hinc illis argumentis, & locis Scripturæ conatur poſtea probare neceſſitatem talis dilectionis in Sacramento Pœnitentiæ, quibus probari ſolet pręceptum veræ charitatis Theologicæ.

Addit pag.46. hac dilectione, ſeu charitate remiſſa non remitti ordinariè peccatum lethale, antequam ſuſcipiatur Sacramentum. *Peccatum* (inquit) *per veri nominis contritionem ordinariè non remittitur, antequam Sacramentum reipſa ſuſcipiatur. Non loquimur de contritione, quæ perfectum, & intenſum Dei amo-*

amorem includeret. Ac proindè ex hoc Doctore poteſt eſſe in anima ſimul peccatum mortale, & veriſſima dilectio Dei ſuper omnia, non intenſa quidem, ſed veriſſima charitas, quæ nobis à Deo præcipitur præcepto charitatis, ac proindè ſola charitas intenſa habebit hoc privilegium expellendi per ſe peccatum lethale.

An autem hæc doctrina conſiſtere poſſit cum doctrina Tridentini docentis ſeſs. 14. cap. 4. reconciliari hominem Deo ante ſuſceptionem Sacramenti non solùm ab ea contritione, quæ perficitur charitate intenſa, ſed quæ perficitur charitate, & cum conſtitutione qua B. Pius damnavit propoſitionem dicentem, quod *charitas illa quæ eſt plenitudo legis*, qua videlicet adimpletur præceptum charitatis, *non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*, expendi in tract. *De dolore ad Sacr. Pœnit. ritè ſuſcipiendam neceſſario*, & alii meliùs expendent.

Ad veram contritionem non ſolùm requiritur dolor de univerſis peccatis mortalibus generatim, & confuſè conceptus, verùm etiam ſpecialis, & diſtinctus de ſingulis peccatis tam quo ad numerum, quàm quoad ſpeciem conceptus.

Pag. 54. col. 1. Quamvis autem moneat, ſatis eſſe ut id ſiat unico actu, vult tamen, ut is actus tendat in peccata ſingillatim recogitata ſecundum ſpeciem, & numerum. Sed quid? num vera contritio non erit illa, qua quis ſciens, ſe graviter peccaſſe, vehementiſſimè dolet de ſuis peccatis generatim, & confusè ex ferventiſſima charitate in Deum, ſi præſertim ex morbo impediatur recogitare diligenter peccata ſua, aut tempus non ſuppetat, inſtante mortis articulo? Igitur ea doctrina ſic generatim tradita non videtur vera, quamvis loquendo de eo qui vult confiteri, & habet tempus recogitandi actus ſuos probabilis ſit.

Addit, prædictam ſuam propoſitionem poſſe etiam ſic intelligi, ut tot eliciendi ſint contritionis actus, quot numero peccata quis commiſit, & concedit hoc modo intellectam eſſe falſam: & rurſus poſſe ſic intelligi, *ut pœnitens tot numero diſtinctos actus elicere teneatur, quot diſtincta ſpecie peccata ſe admiſſe depræhenderit*, & hoc dicit *eſſe probabile, ſed non apparere neceſſarium ad ſalutem*. At, ſi eſt probabile, jam eſt faciendum, cum agatur de actu neceſſario ad valorem Sacramen-

men.

menti, in quo ex ſententiis probabilibus debemus certè ſequi tutiorem. Igitur jam tenebiturPęnitẽs qui habet viginti peccata ſpecie diſtincta, elicere viginti actus cõtritionis.

Ab Sanctis Patribus quatuor afferuntur rationes, ob quas Sacerdos Pœnitentium reconciliationes differre teneatur. Si quis dixerit, id jam nec fieri poſſe, nec deberi, tametſi ſit priſcis temporibus factitatum, Reſpondeo. Quod olim factitatum eſt, noſtris etiam hiſce temporibus eſſe faciendum, ſi eædem illæ rationes propter quas id olim uſurpatum eſt, noſtra etiam hac ætate vigeant. Pag. 94. Affert autem ibidem ſolas has quatuor rationes. *Prima*, inquit, *ut ex diuturnitate temporis, & difficultate curationis, mali ab ſemetipſo perpetrati magnitudinem peccator intelligeret. Secunda, ut ipſe peccator, reconciliationem, ad quam per tot gemitus & labores pervenerat, aſſecutus, ſtudioſiùs peccatum effugeret, atque ita partam tot lacrymis gratiam diligentiſſime retineret. Tertia, ut inde liqueret, quanta obſtinatos peccatores alia ex aliis peccare ſolitos, maneant ſupplicia, ſi tam ægrè ad Deum reverti properantibus, & pœnitentiæ labores obeuntibus remiſſionis gratia conceditur. Quarta denique,*

ut intima cordis converſio ſoli cordium ſcrutatori bene perſpecta, & cognita per aliquot tandem ſigna per aliquod ſaltem tempus inter pœnitentiæ labores exhibita in Sacerdotum notitiam deveniret. Pag. 64. col. 2. Cùm autem hæ rationes etiam modò vigeant, ſi olim viguere; ſequitur quod etiam modò debeat, ut plurimum differri abſolutio, & quod præſens Eccleſiæ praxis, quæ non eſt hujuſmodi, prava ſit, utpote faciens quod fieri non debet.

Loquendo de Pęnitentibus, qui habent inveteratum habitum peccandi, ſic differit. *Ejuſmodi homines non ſunt citò abſolvendi, quia non niſi ægrè admodum convertuntur ad Deum, ſicut oportet, nam ut ait S. Thomas* 1. 2. *qu.*78. *ar.* 2. *ad* 3. Ille qui peccat ex habitu ſemper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quandiu habitu utitur, ſed quia poteſt habitu non uti, ſed per rationem, quæ non eſt totaliter corrupta aliquid aliud meditari, poteſt contingere, quod non utens habitu doleat de hoc, quod per habitum commiſit, & ſic plerumque tales pęnitent de peccato, non quia eis peccatum ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt. *Hæc S. Thomas. Ergo cùm pec-*

peccantibus ex habitu vitioſo non diſpliceat peccatum propter ſe, quatenus ſcilicet eſt offenſa Dei, ſed propter aliquod detrimentum, vel incommodum temporale, quod ex ipſo percipiunt, ita affectis, ſicut, & quibuslibet aliis ita animatis ad tempus deneganda eſt, & differenda Sacramentalis abſolutio, donec eorum converſio per dignos pœnitentiæ fructus ex inchoato ſaltem Dei amore concepta cernatur, & appareat.

Omitto, quod hic Merbeſius addit de ſuo verbum illud *temporale*, quod non eſt in textu D. Thom. quem ipſe allegat, quodque S. Thomas non agit ibi de accedentibus ad Confeſſionem, ad quam qui ſponte accedunt, non ſolent dolere de peccato ad vitandum aliquod incommodum temporale, ſed ſaltem ex timore gehennæ cum ſpe veniæ, & ut reconcilientur cum Deo, adeoque cum aliquo amore Dei, illud videtur intolerabile, quod tam multa is Author exigat, ut hi Pœnitentes tandem abſolvantur. Exigit enim 1. quod faciant ante abſolutionem dignos fructus Pœnitentiæ, quos ex D. Baſilio, & D. Ambroſio dicit eſſe *lugere*, *non ambire dignitates*, *ſomno minus indulgere*, *quam natura poſtulet*, *abſtinere copula*, aliiſque etiam licitis

voluptatibus. Exigit 2. quod iſta fiant ex Divina charitate. Exigit 3. quod *appareat, & cernatur*, quod iſta fiant, & ex charitate fiant, & ideo vult, ut hujuſmodi Pęnitentes à rebus ſęculi ſecedant, in quo ſeceſſu regatur ab ipſo Confeſſario, ut dicit pag. 120. ubi curationem ſatis longam deſcribit, eamque tam operoſam, ut vix ullus pœnitens ita curari poſſit, reliqui igitur ferè omnes manebũt ſemper inabſoluti.

Contraria vitioſis habitibus adhibenda ſunt remedia. Ergo perperam agunt Confeſſarii, qui ad profligandos ſuperbiæ, avaritiæ, libidinis ebrietatis, & maledicentiæ habitus, qui radìces habent altiores, aliquot dumtaxat preces injungunt pœnitentibus pag. 121. Hos Confeſſarios ſic generatim nec S. Raym. nec S. Thomas, nec S. Antoninus damnat, apud quos excuſatur, aut etiam laudatur Confeſſarius benigniùs agens cum Pœnitentibus infirmæ virtutis, in quibus gravius onus pęnitentiæ exiguum contritionis ignem extingueret, ut dicit S. Thomas ſupra allegatus cap. 1. n. 7.

Nec ſatis eſt ex Merbeſio, quod iſti Pęnitentes cœperint emendari, jamque rariùs peccent. Sic enim habet pag. 141. *Non abſolvendus eſt peccator ſtatim atque rariùs in pecca-*

cata, peccandi conſuetudine altius infixâ, cadit, in quæ tamen identidem relabitur. Nam illi in peccata lethalia relapſus, etſi ratiores, hunc hominem nondum in priſtinam ſanitatem reſtitutum eſſe liquidò declarant. Perinde ac ſi Sacramentum à Chriſto inſtitutum pro mortuis, ſit jam ſuſcipiendum ſolum à ſanis, nedum à vivis. Inde ſubdit. *Sancti Patres nunquam non falſam pœnitentiam eſſe prodiderunt eam, in qua quis relaberetur in eadem crimina, ad quæ expianda pœnitentiam ſuſceperant, unde legere eſt apud SS. Ambr. Hieron. Greg. Eligium, adud Juonem, & alibi pervulgatum iſtud axioma, Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Verùm hoc ipſum adagium erat in ore Rigoriſtarum tempore Petri Lombardi, qui lib. 4. ſent. diſt. 14. eos redarguit, tanquàm abutentes authoritate Patrum, qui allegatis verbis, non ſignificarunt, veram non eſſe pœnitentiam ejus qui poſtea relabitur, ſed ejus qui eo ipſo tempore, quo dolet de uno peccato, aliud aut opere, aut voluntate committit. Sic enim habet in lit. B. *Illa verba præmiſſa, Pœnitere eſt anteacta deflere, & flenda non committere, rectè ſic accipi poſſunt,*

ut non ad diverſa tempora, ſed ad idem referantur: ut ſcilice. tempore, quo deflet commiſſa mala non committat voluntate, vel opere flenda. Similiter D. Raymundus in Summæ lib. 3. §. 1. interpretatur prædictam ſententiam Ambr. & aliorum. Eà enim allegatâ, ſic habet. *Occaſione illius verbi*, plangenda iterum non committere, *dixerunt quidam, quod ſi aliquis verè pœnitet, nunquam poſtea peccabit mortaliter, & , ſi contigerit ipſum peccare poſtea, probatur per hoc, quod prima non fuit vera pœnitentia. Muniunt ſe aliis authoritatibus multis &c.* (ſuntque illa eadem loca, quæ modò ſolent à rigidioribus Doctoribus afferri, nempe Iſidori, Aug. Gregorii &c.) *Ad hoc dicendum, quod verba poſita in auctoritate prædicta Ambroſii, & ſimilibus non ad diverſa tempora, ſed ad illud in quo quis pęnitet, ſunt referenda, ſcilicet, ut tempore quo plangit commiſſa mala, non committat opere, vel volũtate flenda.* Eodem modo ea interpretatur S. Tho. in 3. par. q. 84. a. 10. ad 4. & addit hæc. *Quod autem aliquis poſtea peccet, vel actu, vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim verè cur-*
rit-

rit qui poſtea ſedet, ita verè pœnituit, qui poſteà peccat. Quis autem non miretur, quod tamen adhuc Merbeſius, aliique ejuſdem Scholæ afferant prædictos textus, velintque eos accipi in ſenſu rejecto à tam gravibus Doctoribus, quorum primus, nempè Magiſter illos rigidiores Doctores, quos ibi refellit, vocat *vehementiùs inhærentes illis verbis* Patrum. Hinc enim oritur nimius doctrinæ rigor.

Si Pœnitens crebrò in peccata lethalia caderet, probari poſſet per duos menſes, vel toto trimeſtri, quo exeunte, ſi vera proſpiceretur emendatio profecta ex INTEGRA ejus fidelitate, & ex vi, qua peccata diuturna conſuetudine inſita ex animo revellere conatus eſſet, poſſet abſolvi. pag. 141. col. 2. ſed quid fiet cum illis, qui, aut redire non poſſunt ampliùs, aut redire non poſſunt tempore conſtituto, qui certè innumeri ſunt? Notetur præterea vox illa *integra* qua ſatis innuitur, quod ſi vel ſemel in hoc trimeſtri lapſus eſt pœnitens, abſolvendus non eſt; jam enim non integra fuit ejus fidelitas, erit ergo iterum differenda abſolutio, & ſi iterum vel ſemel relabatur, erit iterum differenda. Ecquis patienter feret, tam ... ſeveras, & iteratas dilationes? Sed toto trimeſtri

meſtri ſe penitùs contineat Pœnitens, adhuc tamen Merbeſius hæret, immò pronunciat, quod,

Si pœnitens in hoc bimeſtri, vel trimeſtri ſe à peccato dumtaxat abſtinuerit eò quòd abfuerit ab occaſionibus, quas tamen nullâ ſuâ operâ, nullo ſtudio declinavit, plus temporis ad explorandum ejus converſionem impendere oporteret pag. 141. col. 2. Tenebitur ergo Confeſſarius id etiam ſcrutari, nempè cauſam innocentiæ, & fidei ſervatæ, & ſi deprehendet, eam fuiſſe occaſionum irritantium defectum, erit iterum differenda abſolutio in alios menſes, & inde in alios, ſi pariter occaſiones deſint. Quid, rogo, aptiùs excogitari poteſt ad agendos Pœnitentes in rabiem, & odium Sacramentorum, Miniſtrorumque?

Pœnitens tenetur ſubire ſatisfactionem ſacramentalem, neque recurrere ad alias, quæ non ſunt Sacramentales, alioquin Sacramentum ſua carebit integritate, & erit nullum, & iterandum pag. 165. col. 1. Aut ergo putat ſatisfactionem non ſolum pertinere ad integritatem, ſed etiam ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, aut Confeſſionem eſſe iterandam, quamvis nihil eſſentiale ei defuerit. Neutrum autem ſuſtineri poteſt.

Satiſ-

Satisfactionem admiſſorum non poteſt Pœnitens alteri reſervare ſæculo, ut in Purgatorio impleatur pag. 165. col. 2. Si ſenſus ſit, quod neque pars poſſit alteri ſæculo reſervari, propoſitio opponitur Doctrinę Raymundi, Humberti, Antonini, aliorumque, ut patebit conſulenti eorum ſummas, ſeu Inſtructiones, utque alibi oſtendam, citatis locis.

Nequicquam aliquis de admiſſis peccatis dolorem etiam maximum concipiet, niſi illa ipſa condignis ſatisfactionibus expiare contendat pag. 165. col. 2. Igitur inutilis erit etiam intenſiſſima contritio, niſi, qui conteritur condignam ſatisfactionem exibere contendat. Et confirmat poſteà dicens. *Perſpicuum eſt, promulgatum eſſe de peragenda pœnitentia præceptum* (loquitur autem de pœnitentia externa, ſeu pœnitentiæ laboribus) *itaut quiſquis illud perfringeret, æternis Inferorum ſuppliciis addiceretur*, & quidem vel imponantur, vel non imponantur à Confeſſario; dicit enim in Scripturis præcipi iis, qui peccarunt, has pœnitentias. Quare pag. 185. col. 2. diſertè docet, *Sive Sacerdos congruam Pœnitenti ſatisfactionem injunxerit, ſive non, Pœnitens ſemper congruæ ſatiſfactionis præcepto tenebitur*. Et paulò poſt concludit,

cludit, *nemiuem qui à Baptiſmi gratia per lethale flagitium exciderit, ſalvatum iri, niſi illud ipſum peccatum per condignam ſatisfactionem expiare contenderit*. Quæ doctrina videtur eſſe contraria omnibus prædictis Sanctis Doctoribus, aliiſque Theologis primæ notæ, qui non damnarunt ad Inferos, ſed ad ignem Purgatorii eum, qui ritè abſolutus non contendit ſatisfacere condignè pro peccatis ſibi remiſſis, cum præſertim Confeſſarius hanc tantam ſatisfationem ei non impoſuit.

Pœnitens cui certò conſtiterit ſibi leviorem quàm ſua mereantur crimina ex praxi Eccleſiæ ſatisfactionem ab Sacerdotibus impoſitam eſſe, ad aliam ultrò aſſumendam tenetur, quæ quidem tota ad aliquam æqualitatem cum pœna temporali pro peccatis debita perveniat. pag. 185. col. 1. Addit rationem, quam dicebam, nempè præceptum naturale, & Divinum ſatisfaciendi Deo per pœnam culpæ correſpondentem. Quæ hinc anguſtiæ in miſeros Pœnitentes, qui de hoc ipſo dubitabunt; an verè careant hac certitudine, quique, ut prudenter judicent an ipſi ſervent hoc Divinum præceptum, tenebuntur ſcrutari, quæ ſit praxis Eccleſiæ circa hoc. Et hic iterum anguſtiæ; hujuſmodi enim praxis

non

non ſolum diverſa fuit pro diverſitate temporum, ut dicunt rigidi Doctores, ſed diverſa eſt pro diverſitate ſententiarum, quam enim nos dicimus congruam, ipſi vocant leviſſimam; nec facile, cùm plerique illiterati ſint, aut timidiores, dubium deponent.

Oportet, quemlibet Sacerdotem, animas in Pœnitentiæ Tribunali ritè moderari, & regere cupientem, imbutum eſſe, & inſtructum notitiâ canonum, ſeu regularum, quas Sancti Patres & Concilia ad plectenda mortalium flagitia & condiderunt, & promulgarunt; alioquin perumpet decretum Cœleſtini Pontificis præſtantiſſimi inſertum in corpus juris, hiſque verbis conceptum, nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, aut quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare. Pag. 182. col. 1. Utile profectò eſt hos canones perdiſcere, & ideo Confeſſarii monentur, ut eos noſſe ſatagant; at neceſſarium id eſſe, & lege præceptum, non probatur eo mandato Cœleſtini quod, aut modò non aſtringit, cùm Canones pœnitentiales non ſint in uſu, ut fatetur Merbeſius, aut non loquitur de illis; cùm eorum notitia non eſſet omnibus Sacerdotibus, quos ibi alloquitur Cœleſtinus, neceſſaria, & fortè, nec omnibus

Con-

Confeſſariis; cum in multorum ſententia non ſpectarent illi ad forum quod eſſet purè internum, arcanum, ac Divinum, ut mox dicam:

Hi Canones ſunt ſervandi, & in uſum quantum fieri poterit, ſunt revocandi. Pag. 182. At unde habet ipſe, fuiſſe hoc Canones ab univerſa Eccleſia receptos, & obſervatos præſertim cum iis qui agerent ſecretam pœnitentiam pro delictis occultis? Multi (inquiet) id aſſerunt. Sed multi etiam id negant. Reperimus illa quidem ſcripta, ſed uſum ſic communem non reperimus, & colligimus oppoſitum; nam, ut ſupra dicebam, ferè omnes fuiſſent perpetuò ſub jugo Pœnitentiæ, imò nec ſatis fuiſſet tota vita, ut benè notavit Sanctus Antoninus in Sum. part.3.cap.12. & notant alii; cùm præſertim Merbeſius putet, eorum obſervantiam duraſſe etiam poſt milleſimum, cùm Fidelium peccata, ut moderatiſſimè loquar, nec pauciora eſſent, nec minora, quam modò ſint. Demum affirmantibus multis, & multis negantibus, eos quos modò habemus Canones pœnitentiales, fuiſſe unquam uſu communi Eecleſiarum receptos, & affirmantibus omnibus, eos à multis jam ſpe-

ſeculis non vigere, nec viros Sanctiſſimos, qui hoc tempore floruere, doctrina morali celeberrimos, Raymundum, D. Thomam, Humbertum, Antonium id contendiſſe, ut eorum uſus revocaretur, imò nec id contendiſſe ullum Romanum Pontificem, ullum Concilium, aut generale, aut particulare ex tam multis, quæ eo ipſo ſeculo decimo ſecundo, & tertio, quo horum canonum uſus deſiiſſe dicitur, celebrata fuere, ut oſtendo in Clerico Rom. to. 2. diſp. 2. non video quæ ratio modò ſuadeat hanc obligationem imponere Confeſſariis *eos canones ſervandi, & in uſum quantum fieri poteſt revocandi*. Sed illud magis diſplicet, quod paulò ante, ut hanc obligationem, ſeu conatum revocandi in uſum hos canones firmet, ac ſtatuat, afferat illud Gregorii VII. in Concilio Rom. 5. *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum authoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur*. Ex ſequentibus enim conſtat, non inculcari ibi horum canonum obſervantiam, ſed aliorum quibus explicant Patres, qualis debeat eſſe dolor propoſitum, & emendatio pœnitentium. Sic enim dicitur poſt verba allegata. *Ideoque quicunque negotiator ſive miles,*

vel

vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus itretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui alterius bona injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat, ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquat, vel officium deſerat, vel odium ex corde dimittat, vel bona quæ abſtulit, reſtituat, arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio Epiſcoporum pro juſtitia defendenda. Hæc niſi fiant à Pœnitente, ejus pœnitentia falſa eſt ex prælaudato Gregorio, non autem niſi laboribus pœnitentiæ ſe maceret juxta canones, aut Baſilii, aut Gregorii Nyſſeni, aut aliorum, quorum hìc nulla mentio.

Non ſunt imponendæ pœnitentibus ſatisfactiones ſolito leviores Indulgentiarum intuitu. Pag. 193. col. 2. in fine, quia videlicet modò (ut ſubdit) non imponuntur graviſſimæ illæ Pœnitentiæ canonum antiquorum. Verùm tempore Bonifacii VIII. eædem pœnitentiæ, quæ imponuntur modò, imponebantur, & tamen earum remiſſionem, aut imminutionem permiſit, imò laudavit tempore Jubilæi, ut habet Gloſſa in extravag. *Antiquorum* verb. *Confitebuntur*.

A ne-

A nemine poſſunt lucriferi Indulgentiæ quin per laborioſa pœnitentiæ opera Deo ſatisfacere connitatur. Pag. 195. col.2. Igitur ad lucrandam Indulgentiam non ſatis eſt ea facere ſanctè ac devotè, quæ Pontifex injungit, ut videtur eſſe communis perſuaſio Fidelium, & Doctorum, & ſuppoſuit prælaudatus Bonifacius.

Ut autem pateat, fundamentum præcipuum rigidioris doctrinæ (ut oſtendo in Cler. Rom.) eſſe eam perſuaſionem, quod ſeveriſſima fuerit Eccleſia vetus, ſanctiſſimi tunc Fidelium mores, nunc verò peſſimi, idem Merbeſius pag. 124. col. 1. ſic habet. *Ex traditione diſcimus, prioribus ſæculis, in quibus ſanctioris diſciplinæ ratio viridi obſervantia valebat, tria extitiſſe peccata, nempè Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium, quæ perpetua multabantur pœnitentia, itaut per ducentos annos in aliquibus Eccleſiis ne morituri quidem ad pacem admitterentur*. Idque ter, aut quater repetit in eadem pag. additque id factum fuiſſe *jure, & meritò*, & tamen S. Cœleſtinus Papa, quem allego to. 1. diſp.2. & 3. horribiliter impios, & crudeles eos eſſe pronunciavit, qui morituris pœnitentiæ remedium denegaſſent. Pag.

64. col. 2. dicit, Sanctos Patres Pœnitentium reconciliationem ut plurimùm diù diſtuliſſe. Hac autem diſciplina factum putat, ut Fidelium tunc mores laudabiles eſſent.

De Fidelibus autem noſtrorum temporum ita ſcribit pag. 125. col. 2. *Devenimus in ea tempora, quibus plerique Chriſtiani ad eam cæcitatem ſunt redacti, ut non ſolum atrociſſima quæque flagitia non perhorreſcant, ſed etiam, quod eſt ſupra fidem, ne ipſa quidem inter flagitia recenſenda eſſe pervicaciſſimè contendant.* Quis non exhorreat ad hanc graviſſimam injuriam, quę ſanctę horum temporum Eccleſię irrogatur, in qua tam multi ſine gravi culpa vitam traducunt, & plerique eorum qui graviter peccant, aut non committunt *atrociſſima quæque flagitia*, aut non *contendunt pervicaſſimè, ea non eſſe inter flagitia recenſenda*.

Eadem ferè eſt doctrina Gaſparis Juenin in commentario hiſtorico, & dogmatico de Sacramentis diſſert.6. de Sacr.Pœnit. niſi fortè rigidior ſit in aliquibus, aut ex alio capite ſit magis improbanda ejus doctrina. Hæc igitur afferam, omiſſis illis, in quibus penitus Merbeſio conſentit.

Ga-

Gaſparis Juenin propoſitiones.

PAg. 503. edit. Lugd. col. 2. init. hanc 5
ſtatuit concluſionem. *Eò intenſius debet eſſe peccati odium quo graviora ſunt crimina*, additque id eſſe in præcepto ſecundùm aliquos, licet ſecundùm aliquos non ſit. Ipſe autem jam ingerit ſcrupulum, dum vult,ut ad amovendum ſcrupulum *impenſiùs, & ſæpius DEBITAM contritionis intentionem à Deo poſtulemus*: jamque ſupponit aliquam intentionem eſſe *debitam*, licet neſciamus quantam, ac proinde non ſufficere, quod quis habeat contritionem, ſed adeſſe prӕterea prçceptum & obligationem habendi intenſam, quæ opinio jam à duobus ferè ſeculis à nullo, puod ſciam, Theologo defenditur, & recidit in ſententiam Adriani exigentis ſummam intenſionem, ſeu ſummum conatum eam habendi. Cum enim gradus intentionis, qui correſpondeat gravitati criminum, quæ fecimus, ignoretur à nobis, jam ut de eo tuti ſimus, deberemus ſummè conari. De ea autem Adriani ſententia ſic loquitur Dominicus Sotus in 4. diſt. 18. *Hæc aſſertio non mo-*

do falſa eſt, verùm, ut bona venia dixerim, temeraria, & ſacris litteris parum conſona. Nam Ezech. 8. & 33. non habetur niſi quod in quacumque hora, & momento converſus fuerit impius, omnia ejus peccata delebuntur &c. exigere ergo eximium conatum temeritas eſt, eademque ſcrupulorum genetrix, quos hæc opinio puſillorum animis ingerit. Ab hac cenſura ego abſtineo: nolim tamen doceri propoſitiones ſic notatas à tanto Doctore.

Qui ſolo timore pœnæ dolet, de ſuæ contritionis ſupernaturalitate cum fundamento dubitabit. Pag. 509. col. 2. affert autem textum, quo videtur docere, non eſſe habendum ut ſupernaturalem hunc dolorem. Textus autem is eſt. *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit, & ideo jam non facit.*

Opus, quod ad religionis virtutem pertinet non poteſt fieri, ut oportet niſi ex motivo charitatis. Nemo Deum colit, niſi Deum diligat. Has propoſitiones in objectione ſibi facta contentas concedit, & admittit expreſsè pag. 521. Quæ propoſitiones neſcio, an ſuſtineri poſſint poſt damnationem, qua B. Pius proſcripſit eam, quæ eſt 16. inter damnatas. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.*

So-

Soliti erant Patres iis abſolutionem negare qui tantùm eam petiiſſent in exitu poſiti pag. 523. col. 1. Id contrarium videtur Tridentino docenti, ſeſs. 14. cap. 7. *cuſtoditum ſemper in Eccleſia fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*, cum præſertim illa verba ſic univerſalia *ſoliti erant Patres* ſignificent id factum non ab aliqua ſolum Eccleſia, ſed communiter, quod certè falſum eſt, & negatur hìc à Tridentino.

Amor in Pœnitente requiſitus, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, eſt amor charitatis, non autem amor concupiſcentiæ pag. 578. col. 2. Docet autem pag. 558. col. 2. eſſe amorem charitatis *ſuper omnia* eumque vocat inchoatum, quia non eſt neceſſe, quod ſit intenſus. Iſtum verò amorem quamvis veriſſimæ charitatis Theologicæ, qua Deus amatur propter ſe, & ſuper omnia, non expelli ordinariè peccatum mortale priuſquam Pęnitẽtiæ Sacramentum actu recipiarur, adeòque eſſe ſimul in anima veram charitatem, & peccatum mortale, docet expreſsè pag. 535. col. 2. §. 4. quod, ut ſupra dixi pag. 49. videtur damnatũ à B. Pio, dum proſcripſit eam propoſitionem 32. ibi recitatam. Hinc idem Pontifex non

fuit contentus damnaſſe præcedentem propoſitionem 31. qua dicebatur, *charitatem perfectam eſſe poſſe in Pænitentibus ſine remiſſione peccatorum*, ſed addidit damnationem prædictæ 33. ut conſtaret, nullam charitatem verè talem jungi cum peccato mortali. Addo quod prædictus Author concedit etiam ardentem contritionem,& charitatem jungi cum peccato mortali poſſe. Objicienti enim textum in quo S. Auguſtinus dicit, Catechumenis, utcunque profecerint, non remitti peccata ante Baptiſmum, concedit *S. Auguſtinum loqui de Catechumenis, qui charitate flagrarent*, ita pag. 537. col.2. ver. 21. ergo ex Juenino contritio etiam ardens coire cum peccato lethali poteſt, & non ſolum ea quæ eſt ex amore remiſſo.

Refert pag. 549. opinionem eorum qui etiam poſt damnatam illam ab Alexandro VIII. propoſitionem, *Attritio quæ gehennæ, & pænarum metu concipitur ſine dilectione benevolentię Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*, docent eſſe quidem bonam hanc Attritionem in ſe, ſeu ſecundum ſpeciem conſideratam, quia bonum eſt inferni pęnas timere, ſed non eſſe bonam in individuo, & quatenus caret ea dilectione Dei,

quia

quia requiritur ex parte operantis, ut referatur ad Dei gloriam. Hanc autem opinionem non rejicit, ſed expreſsè dicit, ſe id indefinitum relinquere, quia ad ſolvendum argumentum ſibi objectum, non erat opus, ut id definiret. Perinde ac ſi non eſſet res jam definita ab Alexandro, damnate eam propoſitionem, cujus Pontificis damnatio ſi poſſet eo modo eludi, poſſent dtiam ſic eludi verba Tridentini damnatis Lntherum, qui eam attrionem ſimiliter reprobabat, ut pravam.

Pag. 154. col. 2. ſic habet. *Qui ſolo metu ſupplicii adductus à peccato temperat, licet non eliciat poſitivum hunc actum, Peccarem ſi lex pœnam non minaretur, interpretativè tamen eum elicit*. Cur hoc? niſi quia hæc eſt natura hujus actus. Ergo jam concedit, quod is actus, quo quis *ſolo* metu ſupplicii temperat à peccato, eſt malus, ergo, ut videtur, jam docet propoſitionem ab Alexandro damnatam, Et confirmatur ex eo, quod poſteà docet eſſe inordinatum ſic agere, quod autem eſt inordinatum, utique nec bonum eſt, nec ſupernaturale.

Divinum præceptum confeſſionis obligat

lapſum intra breve tempus, itaut lapſo non liceat in multum tempus ſecundum prudentum æſtimationem ſuam Confeſſionem differre. Pag. 63. col 2. Hæc propoſitio eſt contraria omnibus Doctoribus excepto uno, vel altero, ut dictum eſt cap. 1. nu. 17. nec videtur ipſe idem diſſentire pag. cit. col. 1. in Reſponſ. 1.

Pœnitens ita tenetur acceptare injunctam ſibi ſatisfactionem, ut alioquin non ſit abſolvendus. Pag. 672. col. 2. Propoſitionem ſic univerſalem nemo videtur docuiſſe, & eſt certè contraria praxi, quam proponit S. Raym. Humbert. S. Anton. ut alibi oſtendam ex S. Th. ſupra allegato cap. 1. n. 8.

Jure Divino eſt neceſſaria ſatisfactio lapſis poſt Baptiſmum. Pag. 676. col. 2. Et quidem condigna ita ut levis injugi non poſſit pro gravibus, ut poſtea probare contendit art. ſequ. Igitur, cùm Eccleſia non poſſit diſpenſare in præceptis Divinis, & naturalibus, malè diſpenſavit in hoc, ut certè fecit ſæpiſſimè reconciliando ſine condigna pœnitentia graviſſimarum culparum reos, quales fuere illi quos enumero in Clerico Rom. to. 1. diſp. 9. nu. 46. & rurſus malè id facit quotidie per largitionem Indulgentiarum,

qua-

quarum intuitu poſſe minui onus Pęnitentię docuit Bonifacius Papa, ut ſupra dixi:

Periculnm eſt, ne viri nobiles, qui magno ſuæ famæ deſiderio tenentur, ruant ad duella, ſi in iis locis permaneant, in quibus prævident, ſuam famam quam depereunt, adducendam in diſcrimen: dimittendi ſunt igitur abſque Sacramento, ſi ex iis locis diſcedere detrectent pag. 742. col. 2. Hoc periculum non videtur proximum, nec ea prævisio officere videtur, ſi alioqui habeāt firmum propoſitum abſtinendi ab omni peccato. Alioquin vix ullus miles nobilis poſſet abſolvi.

Qui mortaliter peccarunt ex conſuetudine, non debent abſolvi, niſi multo ad viri prudentis judicium tempore converſionem operibus probaverint. Pag. 743. Non eſt contentus dilatione, ſed expreſsè requirit longam probationem. Addit enim paulo poſt. *Contritio ordinariè, ac paſſim non ſolet unico momento, ſeu intra paucos dies efformari in corde hominis, quem ligat inveterata peccandi conſuetudo.* Unde poſtea pag. 755. docet eſſe iterandas omnes Confeſſiones ab hoc hominum genere factas. Reddit eam rationem col. ſeq. quia animus nec tam citò, nec tam facilè deponit habitum vi-

vitioſum, qui altas egit radices, putat ergo contritionem non concipi durante hoc habitu vitioſo. Cum autem vix menſes, aut etiam anni ſufficiant evellendo habitui vitioſo, qui altas egit radices, ſequitur, probationem prædicti Pœnitentis debere protendi ad menſes, aut etiam annos. Id non negabit Juenin. hinc pag. 744. ſic habet *Toti antiquitati perſuaſum fuit, contritionem non eſſe diei unius opus, ſed multorum menſium, immo & nonnunquam annorum.*

Proponit pag. 752. varios caſus. Et primò, quod Pœnitens inveterata peccandi conſuetudine implicitus accedat ad Confeſſionem eo ipſo mane quo celebraturus eſt nuptias, nec poſſit differre ſine magno famæ detrimento, & perturbatione conſanguineorum, & ſponſæ, qui jam convenerunt ad Templum. Et dat varias reſponſiones. Una eſt. Famæ periculum ad quod adducentur deſponſati, ſi matrimonii celebrationem procraſtinent, non eſſe eum caſum neceſſitatis, in quo Sacramẽti Miniſter licitè uti poteſt materia dubia, ac proinde non eſſe abſolvendum. Altera reſponſio eſt, eſſe abſolvendum, ne frangatur ſigillum. Docet autem is Author

pag.

pag. 642. non fuiſſe violatum ſigillum dum vetus Eccleſia impoſuit pro occultis peccatis pœnitentiam publicam, primò quia multi innocentes pœnitentiam publicam ſponte agebant, & quia per illam pœnitentiam publicam non revelabatur peccatum in ſpecie. Quæ doctrina ſanè non ſubſiſtit, nam frangit ſigillum etiam qui revelat in genere peccatum grave pęnitentis, imo qui eſt cauſa gravis ſuſpicionis de gravi peccato pęnitentis. Quod autem multi innocentes agerent pœnitentiam, non facit, quin ex circumſtantiis orietur magna, & gravis ſuſpicio de culpa gravi pœnitentis. Igitur hæc doctrina non ſatis tuetur obligationem ſacri ſigilli. Sed quidquid ſit de hoc, non cohæret cum prædicta ſecunda, reſponſione, nam, ſi Sacerdos negans prædicto ſuo pęnitenti habenti habitum pravum, abſolutionem, eſſet reus violati ſigilli, quamvis nihil ageret, ad nihil cogeret, ſed ſolum non abſolveret eum, quem judicat indiſpoſitum, nec ullum peccatum in ſpecie revelaret, & ſolum impediret celebrationem matrimonii, quod aliquando impeditur non ex culpa, ſed ex aliquo impedimento dirimente non culpabili, quod antea ignorabantur, à

for.

fortiori fuiſſet Eccleſia vetus rea violati ſigilli-dum Pęnitentem coegit ſubire publicam pę, nitentiam, licet per eam non detegeretur peccatum in ſpecie, & aliqui ſponte ſuſciperent, ut dicitur, eam publicam pęnitentiam.

Alter caſus quem proponit eadem pag. 752. eſt ejus pęnitentis pravo habitu implicati qui petit abſolvi ex eo quod eſt iter ſuſcepturus, aut habet aliam cauſam, propter quam non poteſt redire, & reſpondet, nec hunc eſſe abſolvendum, ſed monendum ut iterum confiteatur confeſſario ejus regionis, cujus eſt futurus incola.

Tertius caſus eſt ejus, qui implicitus peccandi conſuetudine *ducit in matrimonium mulierem ſui criminis complicem, unde tollit occaſionem peccati, & aptiſſimum medium aſſumit, quo ab illo deinceps temperet*. Et reſpondet nec hunc eſſe abſolvendum, *quia* (inquit) *Sacerdoti non conſtat, quod in eo caſu vir ille paratus ſit ad vitandam complicem, ſi per matrimonium non fieret uxor*. Hanc ſeveritatem deridendam cenſet idem meus Accuſator pag. 232. ver. 1.

Circa verò veterem Eccleſiam eadem ſen-

ſentit quæ Merbeſius, & reliqui, ut conſtabit legenti pag.685.688.690.706.733.quod confirmat quæ deMerbeſio dicebam, falſas videlicet aliquot perſuaſiones circa veteris Eccleſię ſeveritatem eſſe unum ex doctrinę rigidioris fundamentum.

Unum omittere nolo quod circa veteris Eccleſiæ praxim is Author dicit. Eſt autem hoc. *Vetus Eccleſia nullam habuit rationem periculi, cui videbantur exponi illi, quibus differebat abſolutionem, nec id eam deterruit, ne OMNIBVS poſt Baptiſmum peccantibus, graviſſimos labores imponeret, antequam eos donaret reconciliatione*. Pag. 750. col. 2.

Expendat autem Lector 1. quam falſa ſit hæc propoſitio ira univerſalis, quod nempè vetus Eccleſia (quo nomine certè non venit ſolùm una,aut altera Eccleſia) *OMNIBVS peccantibus poſt Baptiſmum* diſtulerit abſolutionem, adeoque etiam iis qui ſola voluntate graviter peccarant, iiſque omnibus *GRAVISSIMOS LABORES IMPOSVERIT*. Expendat 2. quam ſit injurioſa veteri Eccleſiæ, dum dicit, eam *nullam rationem habuiſſe periculi &c.* Expendat 3. quam ſit apta reddere Confeſſarios nimiùm

rigidos, ne dicam crudeles cum quibuslibet qui graviter poſt Baptiſmum peccarunt, diſferendo omnibus abſolutionem, aut omnes graviſſimis pęnitentiæ laboribus prægravando.

Antonii Arnaldi propoſitiones.

6 *ORdo à Chriſto inſtitutus, ut peccatores primò confiteantur peccata ſua, ſecundò ut imponatur eis pœnitentia, ſeu ſatisfactio, tertiò, ut pœnitentiam illam exequantur, ſeque per fructus ſatisfactionis delictis ſuis conformis expurgent, quartò, ut per abſolutionem Sacerdoti reconcilientur.* In lib. de frequ. comm. pag. 290. edit Pariſ. an. 1644.

Deus ſecundum ſuæ Sapientię regulas vult, ut ſatisfactio præcedat abſolutionem Sacerdotis, quemadmodum ratio naturalis dictat &c. Ibid. pag. 345.

Expendat hic Lector, an hæ duæ propoſitiones ſimul junctæ faciant ſenſum diverſum ab eo, qui continetur, & damnatur in propoſ. 16. inter damnatas ab Alexandro VIII. quæ ſic habet, *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccle-*

cleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei id ipſum quodammodo dictante. Et rurſus expendat, an in prima, aut etiam in ambabus contineantur hæ duæ ſequentes pariter à prædicto Pontifice damnatæ, *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ; etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Quomodo enim non ſit inverſus ordo pœnitentiæ, ſi præſens ordo eſt contrarius juri divino, & naturali, & quomodo praxis mox abſolvendi utcunque ſuſtentata plurimorum authoritate, & multo temporis diuturnitate non habeatur ab Eccleſia pro abuſu, ſi eſt contraria inſtitutioni divinæ, ipſiq. dictamini rationis? Demum ſi jus divinum, & naturale præcipit, ut qui peccavit, ſatisfactionem delictis conformem præſtet, & impoſitam pœnitentiam exequatur, antequam reconcilietur, jam ex mente Arnaldi *erit judicandus ſacrilegus qui jus ad communionem percipiendam prætendit, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerit*, quæ tamen propoſitio eſt 22. ex damnatis ab eodem Pontifice. In

In eodem lib. de frequenti com. pag. 23. ejuſdem edit. Gallicæ ſatis ſignificat non eſſe admittendos ad ſanctam communionem *qui non ſunt adhuc perfectè uniti cum Deo ſolo, & pœnitus irreprehenſibiles*. Et part.3. cap.7. quæ S. Dionyſius docet non ut abſolutè neceſſaria, ut exponi debet, ſed ut congrua Altaris Sacramento, ſeu ad ſignificandam hujus Myſterii ſublimitatem, ipſe exigit ut neceſſaria; agit enim in prædicto cap. *de preparationibus ad communicandum neceſſariis.* Sunt autem hęc ex ſermone Gallico in Latinum converſa. *Non ſolum autem hi qui à ſtatu vitæ ſanctæ, & Chriſtianæ exciderunt, debent è Templo Dei recedere, ſed etiam illi, qui à vita mala ad meliorem converſi à phantaſmatibus, & imaginibus quæ remanent in ipſis ex præteritis exceſſibus per contrariam habitudinem, & amoris divini abſque ulla MIXTIONE PURITATEM nondum purgati ſunt, hoc ſacrificium pro ſe nimis ſublime, ſuamque capacitatem ſuperexcedens judicare debent: & proinde oportet perveniſſe ad virtutem quandam divinam, & ex præcedenti habitu deificam, nec non ad firmam, & inſuperabilem cum rebus divinis adhæſionem, Deique perfectam unionem; oportet omnino perfectum, & prorſus irre-*

pre-

prehenſibilem eſſe, ut quis tantorum Myſteriorum particeps efficiatur. Judicet hìc lector, an qui hanc præparationem neceſſariam eſſe docet, illud ipſiſſimum doceat, quod docuit auctor hujus propoſitionis 23. ex damnatis à prædicto Pontifice, *Similiter arcendi ſunt à S. Communione, quibus nondum ineſt, amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

Omitto alias propoſitiones hujus Doctoris, quas retuli in Tract. *de Dolore &c.* lib. 1. cap. 10. num. 7.

Gummari Huighenii Propoſitiones.

Fides charitate formatur, poteſtque de formata fieri informis, non tamen ita, ut 7
omni prorſus careat dilectione. In Compendio pag. 29.

Nequit in aliquo eſſe ſpes Theologica ſine omni dilectione Dei. Ibid. pag. 33.

Non ſolùm ſæpiùs in vita, nec tantum ſæpius in anno Deum ſuper omnia diligere debemus, ſed toties, ut morali quodam modo loquendi omni tempore de nobis verè dicatur, Deum ſuper omnia diligimus, Deum amamus uſque ad contemptum noſtri. Ad hanc dilectionem Dei ſuper

omnia agnoſcimus obligationem ſub MORTA-LI. Ibid. pag. 37.

Martyres honorare, & non imitari nihil aliud eſt, quam mendaciter adulari. In Comp. reimpreſſo 1684. pag. 212.

Deipara non rectè colitur, & amatur niſi propter Deum: adeoque non omnino rectè ab illis, in quibus nec Dei cultus eſt, nec ulla Dei dilectio. Ibid. pag. 211.

Si ſponſi prava conſuetudine imbuti ipſo nuptiarum die, nulla vitæ mutatione prævia, confeſſuri Paſtorem conveniunt, ut matrimonium ineant, abſolvendi non ſunt, quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi ſequatur. In methodo pag. 111. & ſeqq. Hinc facilè Lector colliget, hunc Doctorem convenire etiam in reliquis pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ cum Merbeſio, & Juenino...

Macarii Havermans Propoſitiones.

8 *Actui ſpei adjungi debet aliquis Dei propter ſe amor, ut ſit actus ſupernaturalis virtutis Theologicæ*. In Theſib. defenſis 12. Julii 1672. Theſi 4.

Omnis actus veræ virtutis vel debet eſſe ex-

expreſsè formalis actus amoris Dei propter Deum, vel actus procedens ex illo. In defenſ. Tirocinii cap. 2. num. 28. Unde cap. 3. agens de metu §. 1. num. 38. ſic habet, *Peccat quidem qui ſerviliter timet, non quia timet gehennam, ſed quia actum ſuum non refert in debitum finem, nempe ultimatè in Deum*. Aliquas alias ejuſdem Authoris ſimiles propoſitiones attuli in Tractatu *de Dolore ad Sacramentum Pœnit. ritè ſuſcipiendum neceſſario* lib. 1. cap. 10. num. 6.

Ægidii Gabrielis Propoſitiones.

IS Auctor in ſuo Tractatu, cui titulus, 9
Specimina moralia agens *de præparatione NECESSARIA ſecundum Chriſtum ad ſuſcipiendam Eucharistiam* §. 18. par. 2. dicit ex inſtructione Chriſti *ad ſumendam dignè Euchariſtiam requiri excellentem charitatem, & humilitatem*. Et §. 31. dicit, *Per ſacram catenam continuæ Traditionis evidenter apparere, quod juxta unanimem conſeſum ſanctorum Patrum (quem ſacrum Concilium Tridentinum tam frequenter allegat, velut inviolabilem, & inefragabilem regulam) per vitæ munditiam, per ſanctitatem actionum, per exercitium bonorum operum, per*

abnegationem corruptionis ſæculi per unionem cum Deo & demum per ſtatum firmum & IMMOBILEM in virtute Chriſtiana hominem judicari debere dignum Euchariſtia. Erit igitur arcendus qui talis non eſt.

Agens poſtea de preparatione ad Sacramentum pœnitentiæ & de ordine in eo adminiſtrando obſervato ſibi contradicit, ut faciunt alii ſimiles Doctores, nam §.35. propoſito eo ordine à SS. Patribus, ut ipſe dicit, ſuis reſpectivè in locis, per duodecim ſæcula, ut Pœnitens 1. confiteretur, 2. reciperet pœnitentiam, 3. impleret, 4. abſolveretur, ſi non eſſet relapſus, dicit à ſe hanc praxim repræſentari non eo fine, ut credatur neceſſaria ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ: inde §. 39. affert quatuor rationes, ex quibus, ſi Sancti Patres, ut ipſe dicit, judicarunt eſſe *exigendam pœnitentiæ impletionem ante abſolutionem ſacramentalem*, ſic debemus judicare etiam nos, ut ſupra monui, alioquin erraſſe in eo judicio SS. Patres dicendum erit, quod aſſeri ſine temeritate non poteſt.

Hæc objectio, *Quid ſi morerer non abſolutus? vana, & frivola eſt. Vel enim peccator efficaciter intendit converti, vel non: ſi efficaciter*

ter intendit converti, pænitentiam implebit, & ſi moriatur ante abſolutionem, ſola efficaci voluntate converſionis ſalvabitur: ſi non intendit, abſolutio illi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus. In morali pag. 144. Efficax voluntas converſionis haberi poteſt abſque actuali converſione, quia non omnis voluntas efficax faciendi aliquid eſt voluntas efficax faciẽdi illud nunc, & quamvis eſſet voluntas efficax illud faciendi nunc, aliquid impedit aliquando & reſiſtit voluntati: hinc habens inveteratum habitum peccandi, licet pœniteat, & velit efficaciter converti, non tamen actu convertitur, ut hi Doctores aſſerunt. Si igitur voluntas efficax converſionis ſufficit ad ſalutem, ſi peccator moriatur cum tali voluntate, anrequam actu convertatur, jam ex hoc Doctore ſalvabitur, licet non ſit converſus. Quo quid magis falſum, & animabus noxium, cùm hinc fiant Parochi ſegnes in reconciliandis pœnitentibus etiam moribundis, & extinguatur amor Sacramentorum in Fidelibus ſemel perſuaſis ſufficere voluntatem efficacem converſionis, quam ſe habere facilè credent?

Joannis Opſtraete Propoſitiones.

10. *SUb gravi peccato tenetur homo ſic vivere, ut poſſit de ipſo verè affirmari, quod ſemper credat, ſperet, ac diligat.* In Theſibus Mechliniæ defenſis 11. Novemb. 2688.

Diſtinctio inter amorem appretiativè ſummum, & intenſivè ſummum neque in ſacris Litteris, neque in SS. Patribus fundatur: à S. Thoma autem ſatis apertè reiicitur, nobis verò ad evertendum primum præceptum, & eludendum S. Scripturæ, & SS. Patrum loca ſatis apta videtur. In Theſ. ibid. defen. 10. Jun. 1688. Igitur qui non amat Deum ſumma intentione, jam non obſervat primum præceptum, nec habet contritionem, quamvis ſic amet Deum, ut præferat omnibus; & cum toto iſto amore damnabitur. Hanc aſſertionem vocat Dominicus Sotus in 4. diſtin. 17. quæſt. 2. art. 4. *temerariam, & ſacris Litteris parum conſonam*, ut dictum eſt ſupra pag. 67.

Ratio & experientia perſuadent, communiter ad abſolutionem diſpoſitos non venire prima vice qui peccatum aliquod mortale confitetur. In Paſtore bono, pag. 264. Igitur communiter

erit

erit omnibus qui aliquod mortale confitentur, differenda abſolutio.

Paſſim abſolvendi non ſunt Pœnitentes quique ignoti qui in ſedem Confeſſionalem primò obviam involant dictitantes, ſe pauca habere, & levia quæ confiteantur, e.g. aliquoties ſe leviter mentitos, iratos, vel in Sacro diſtractos fuiſſe. In Theſ. Mechel. defen.7.Aug. 1687. Igitur paſſim reiiciendi ſunt etiam confitentes ſola venialia, ſi ſint aliundè ignoti, nec ſatis erit eos interrogare.

Qui non verbis ſolum, ſed operibus oſtendunt ſeriò ſe agere, & ad totalem emendationem planè conniti, ut ſi v.g. occaſiones fugiant, media à Confeſſario præſcripta adhibeant &c. nihilominus tamen (quæ hominum eſt infirmitas) in eadem relabuntur, abſolvi non poſſunt. In Paſtore bono pag. 204.

Abſolvendi regulariter extra neceſſitatem non ſunt qui per multos actus bonos ſenſim ſe non diſpoſuerunt ad recipiendos habitus infuſos. In Theſ. Mechliniæ defenſis 10. Januarii 1688.

Impium eſt dare abſolutionem Sacerdoti non multò ante lapſo; eſto quædam celebrandi eſſet neceſſitas, puta ne Populus die feſto ſacro

fruſtraretur. In Theſil. Mech. defenſis 26. Januarii 1690.

Omitto alias multas eorumdem Doctorum propoſitionet quæ ad alios Theologicos tractatus pertinent, tùm quia de ſola Pœnitentia agitur in meo Clerico Rom. tùm quia hæ ſatis fortè oſtendunt quod hìc evincere conſtitui. Etenim doctrina tam conformis tot Scriptorum diverſarum regionum, qui, ut antea dicebam, habent etiam modò multos laudatores, ac diſcipulos, abſque dubio demonſtrat, non eſſe paucos, ſed multos qui ita ſentiunt, eoſque ſcholam facere valdè numeroſam: cumque prædicta doctrina rigidior videatur, & contraria communi praxi Eccleſiæ, non abs re colligitur, ſcholam nunc dari profitentium rigidiorem doctrinam, nec fuiſſe à me fictum hoſtem quem ferirem.

11 Verùm quid aut remota, aut incerta quæro, cùm habeam recentiſſimum, & certiſſimum teſtimonium, nempè litteras, quas in forma Brevis dedit paulò ante quàm meos libros ederem, nempè die 7. Aprilis 1703. SS. D. N. CLEMENS XI. ad univerſos Catholicos in Partibus Hollandiæ, & Provinciarum

rum conterminarum conſtitutos, in quibus declaratur abrogatum fuiſſe munus priori Vicario Apoſtolico Hollandiæ, & deteguntur Janſeniani ſub ſpecie rigoris in morum diſciplina populum decipientes: quarum initium eſt. *Illius vicem licet immeriti gerentes &c.* Quæ autem ad rem noſtram faciunt ſunt hæc. *Sinite illos, dilecti filii, quia cæci ſunt, atque utinam non excæcaverit illos malitia eorum. Oſtendite vos veras Chriſti oves eſſe, qui ſupremi in Terris Paſtoris ab eodem Domino conſtituti monitis obſequuntur, & non audiunt vocem alienorum. Alieni profectò ſunt qui dum Gregem Dei dividere tentant, mactare potius, ac perdere, quam cuſtodire velle depræhenduntur. Obtendunt illi EXACTIORIS DISCIPLINÆ SPECIEM, AC DE RIGIDIORIS THEOLOGIÆ SIBI FAMA BLANDIUNTUR. Quales verò animo ſenſus foveant, quòve mente colliment quicunque ſapiens rerum æſtimator facilè judicabit certiſſimâ illâ, qua nos, ad eos qui veniunt in veſtimentis ovium dignoſcendos Salvator noſter inſtruxit, adhibita regula, A fructibus eorum cognoſcetis eos. Quis enim, ut cætera taceamus, tot ab iis hac in cauſa editos libellos videat jurgiis maledictis, mendaciis, calumniis apertaque*

in

in Apoſtolicam Sedem irreverentia, ac temeritate undequaque ſcatentes quos magno, vel ipſis heterodoxis ſcandalo fuiſſe comperimus, quin ſtatim agnoſcat, quam longè illorum Authores, defenſoreſque à ſpiritu Dei ſunt qui non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: quam longè à ſincera Chriſti charitate, quam adeò verbis prædicant, factis deſtruunt: qua longè demum à veræ humilitatis, & obedientiæ, quæ cæterarum virtutum fundamenta ſunt, tramite, dum adverſus ipſam B. Petri Sedem Chriſtianorum omnium Matrem, & Magiſtram caput attollere, ejuſque mandatis obviam ire, quinimò & poteſtatem convellere, & palam impetere non erubeſcunt. Quis autem ſit adeò vecors & effrons, ut audeat dicere, deſcribi hic à Sapientiſſimo Pontifice Rigoriſtas imaginarios, monerique Fideles,ut à fictis Rigoriſtis caveant? Nemo profectò. Ergo nec ego cum fictis, & imaginariis Rigoriſtis manus conſervi.

12 Oſtendendum nunc eſt, quod ſecundo loco probare conſtitui, nempè non ſolùm vero Rigoriſmo infici multos,ſed eo quem meis illis libris impugnavi. Id autem facilè oſtendo; eum ſiquidem Rigorem in eis reiicio, qui prædictis propoſitionibus Merbeſii, Juenini

nini aliorumque continetur, ſed is multorum doctrina eſt, ut ſupra oſtendi, ergo eum rigorem rejeci, quo multi abſque dubio inficiuntur. Igitur verum hoſtem ferio, non autem fictum.

Sed, inquies, à me feriri hoſtem verum & fictum; nam quamvis, dum illas 24. calumnias meis libris diſpello, eam doctrinam ſtatuam, qua prædictæ propoſitiones rigidæ refelluntur, ipſæ tamen calumniæ nullum rigorem continent: dicuntur enim illæ à Petavio, Sirmundo, aliiſque certè non rigidis Doctoribus. Quin aliquæ ex ipſis vix ullum, aut etiam nullum habent Auctorem, ergo dum illas diſiicio veluti doctrinam Rigoriſtarum, falſum rigorem impugno, falſumque Rigorem tanquam verum probatis Doctoribus affingo, ut ut interea verum etiam Rigoriſmum impugnem.

Sed fallitur, qui putat, à me ita diſiici illas calumnias, ut credam, aut aſſeram, eas, ſaltem omnes, continere doctrinam rigidam. Diſertè enim aſſero eas, quæ præſertim antiquam ſeveritatem, & præſentem benignitatem exaggerant, eſſe fundamentum Rigoriſmi, non autem Rigoriſmum ipſum. Id profiteor

fiteor to. 1. in Præfatione ad Lectorem num. 4. & rurſus in altera præfatione ad Clericum Romanum verſus finem; hinc Morinum ipſum, qui tamen præcipuus earum Auctor eſt, quæ primo tomo, expenduntur, Rigoriſtam eſſe negavi in prædicta Præfatione ad Lectorem num. 5. Cæterum falſum eſt, ſi primam excipias, eas ptopoſitiones, ſeu calumnias eſſe paucorum. Pauci quidem ex non rigidis Doctoribus eas circa veterèm, & præſentem Eccleſiam opiniones ſecuti ſunt, at rigidi fèrè omnes in omnibus, aut ſaltem pleriſque illis propoſitionibus conveniunt.

Excipio ut dicebam primam calumniam primi tomi, qua dicitur *Clericis præſertim majoribus in aliquot crimina prolapſis negatam ab Eccleſia veteri veniam fuiſſe*. Id quidem ipſi non aſſerunt, nec ego ab eis aſſeri unquam dixi. Quia verò ſunt aliqui canones, & aliqua antiquitatis monumenta, quale eſt illud quod Climacus de eo Pœnitentium carcere habet, quæ illi errori anſam aliquam præbere pòtuiſſent, volui ejus fundamenta convellere, & ſimul oſtendere Adverſariis in ipſo mei Operis initio, multos veteres canones pertinentes ad pœnitentiam reſpicere ſolum forum

rum externum, & negare quibuſdam reis ſolam pœnitentiam, & reconciliationem publicam & ſolemnem, non autem ſecretam, ut certè ſit per eos canones, quibus pœnitentia & reconciliatio Clericis negatur. Cæterùm quicunq: controverſiam aliquam tractamus, id facere conſuevimus, & facit ubique D. Thomas, non ſolum ea ſibi objiciens, & ſolvenda proponens, quæ verè dicebantur ab Adverſariis, ſed etiam quæ ab ipſis objici, & anſam aliquam contrariæ ſententiæ præbere potuiſſent.

Secunda propoſitio, qua aſſeritur *apoſtaſiæ, homicidio, & adulterio nec in morte fuiſſe per aliquot ſecula datam veniam* aſſeritur diſertiſſimè, & communiter à rigidis Doctoribus, illam habet expreſsè Gaſpar Juenin in Comment. hiſtor. & dogmat. diſſert. 6. de Sacr. Pœnit. pag. 706. Nec facit quod non dicat, eam ſeveritatem fuiſſe omnium Eccleſiarum. Nec enim in mea propoſitione id aſſeritur. Præterquamquod ſolemne eſt his Doctoribus illud aſſerere ab SS. Patribus vel ab Eccleſia veteri factum circa diſciplinam, quod ab aliquo ex Sanctis Patribus, & ab aliqua tantùm Eccleſia factum fuit. Solus S. Cyprianus, aut 13

pau-

pauci alii negarunt aliquibus nimis ſerò pœnitentibus etiam in morte abſolutionem, nec alium circa hoc Doctorem, aut Eccleſiam allegat Genet. tom.4. tract. 6. de Pœnit. qu.24. & tamen hanc propoſitionem univerſalem ſtatuit. *In primis Eccleſiæ ſeculis denegabatur abſolutio iis, qui poſtquam in vita criminoſa perſeveraverant, ad pænitentiam ſolùm in extremitate vitæ recurrebant*, perinde ac ſi id communiter factum fuerit.

Cæterum illam propoſitionem, quam dicebam, & quidem terminis generalibus conceptam habet Merbeſius de Pœnit. quæſt. 79. pag. 221. additque ita ſentire viros doctos. *Viri docti*, inquit, *cenſent, prioribus Eccleſiæ ſæculis id in ſtato, ſolemnique more poſitum fuiſſe, ut Idololatræ, Mæchi, & Homicidæ, quantavis ſe pænitentia diſcruciarent, ordinariè ne in exitu quidem abſolverentur*. Quare errat manifeſte Accuſator dicens pag. 143. hanc fuiſſe unius, vel alterius ſententiam, non autem multorum. Errat etiam in eo quod aſſerit pag. 119. à me Novatianiſmum affingi Rigoriſtis, dum refello Adverſarium, quo cum diſſero in hac 2. diſputatione, dicentem, aliquod peccatum eſſe poteſtate clavium irremiſiſſibile, idque pro-

probantem eo teſtimonio Chriſti dicentis peccatum in Spiritum Sanctum *nec remitti in hoc ſeculo*, *nec in futuro*, perinde ac ſi Doctor aliquis rigidus id erroris doceat. Urget autem me, premitque, ut nominem quis iſte ſit qui hoc dogma profiteatur. Nominabo, ut ei morem geram. Is eſt Bonus Merbeſius quo nullus forte præſtantior Doctor in Schola rigidiori. Sic enim habet tract. 4. de Pœnit. quæſt. 79. pag. 225. *Nullum eſt flagitium tam atrox*, *tam immane*, *quod Eccleſia*, *clavium miniſterio ſibi à Chriſto Domino adhuc in terris agente conceſſo*, *vero Pœnitenti remittere nequeat*, *ſi unum dumtaxat delictum*, *qualecunque ſit*, *quod Chriſtus in Evangelio eternum vocat*, *exceperis*. Notentur illa verba *vero Pœnitenti*, quæ omnem excuſationem præcidunt, oſtenduntque, eum putaſſe, nec vero Pœnitenti remitti ab Eccleſia poſſe omne peccatum, quod, an ſit verus Novatianiſmus, judicent alii. Scio, alibi ab eo contrarium doceri. Sed hoc ſolum probat, quod ſibi contradicit: non enim per ea quæ docet alibi,poſſunt benignè explicari, quæ habet hìc, obſtantibus, ut dixi, illis verbis *vero Pœnitenti*, quæ faciunt, ut non ſignificarit, illud peccatum irremiſſibile eſſe impœniten-
tiam

tiam finalem, quæ non cadit in verum Pœnitentem. Cæterum, ſi placeat excuſare Merbeſium, non inde accuſor ego qui eo in loco induco Doctorem rigidum ea objicientem. Non enim id facio, quia ea ſit doctrina Doctorum rigidiorum, ſed ut omnia ſolvam, quæ objici poſſent. Ex qua ratione in omnibus fere quæſtionibus, ut ſupra monui, ſolvimus multa nobis objecta perinde ac ſi ea dicantur, & objiciantur ab Adverſariis, qui tamen ea verè non objiciunt.

14 Tertia propoſitio, quam rejicio diſp. 3. aſſeritur diſertiſſimè à prædicto Merbeſio, Juenino, & Genetto. Primus enim ea quæſt. 79. pag. 221. ita ſcribit. *Si quis contemptâ Eccleſiâ, à qua deſciverat, vel à qua expulſus fuerat, morbo dumtaxat vehementiore conflictatus, & propemodum oppreſſus tùm primùm pœnitentiam, reconciliationemque peteret, ea omnino denegabatur, tametſi eam ex animo externis indiciis affatim declarato, deſideratam efflagitaret.* Alter, nempe Juenin diſſert. 6. de Pœnit. pag. 733. ſic habet. *Tribus prioribus ſeculis, & aliquibus poſt annis negata eſt abſolutio impiis, qui eam in exitu tantum vitæ expoſcerent.* Tertius ſimiliter tom. 4. de Pœnit. cap. 5. quæſt. 24. pag. 64. ed.

Ven.

Ven. *In primis Eccleſiæ ſeculis* (inquit) *denegabatur abſolutio iis, qui poſtquam in vita criminoſa perſeveraverant, ad pœnitentiam ſolùm in extremitate vitæ recurrebant*. His conſentiunt reliqui Doctores rigidi, quos allegare nimis longum eſſet. Et tamen non dubitat Accuſator aſſerere, hanc etiam ſententiam à communi Rigidioris Scholæ doctrina alienam eſſe.

Errat ſimiliter, dum quartam propoſitio- 15
nem qua aſſeritur, *fuiſſe olim in Eccleſia negatam veniam reis ad mortem damnatis* à nullo recentiori Doctore traditam, dicit, uno excepto Morino. Siquidem poſt Morinum Merbeſius eadem illa quæſt.79. pag.220. ſic habet. *Non ſolam in quibuſdam Africæ, & Hiſpaniæ Eccleſiis quorundam criminum reis denegata eſt etiam in exitu reconciliationis gratia, verum etiam in Gallia idipſum obſervatum eſt erga reos publico ſupplicio mactandos; nec paucis annis illa conſuetudo retenta eſt. Nam perſeveravit uſque ad annum Redemptionis* 1396. *uſque dum ſcilicet Carolus VI. plurium procerum, Sacerdotum, & virorum principum hortamentis, & precibus eam abrogaret edicto regio.* Idem poſt Merbeſium refert Martene de antiquis Eccleſie ritibus lib. 1. cap. 6. art. 2. §. 6. Nec refert, quod is Auctor

ſolùm dicat *videri*, ſic factum fuiſſe. Dum enim dicit ita *videri*, & affert in confirmationem multa exempla, jam ita opinatur, id enim opinamur, quod nobis ita eſſe videtur. Non igitur, ut quidam objecit, abs re affertur pro ea opinione.

16 In quinta calumnia ſolum cavillatur circa verba, quibus ea exhibetur. Ceterum non negat à ſuis Doctoribus tradi quod ego ea 5. diſputatione tanquam falſum rejicio, nempe, *quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis iis qui acta ſemel pœnitentia publica & ſolemni in eadem, vel nova crimina canonica labebantur, nullum pœnitentiæ ſeu publicæ, ſeu privatæ patuiſſe aditum*, nec diffitetur, infirmis niti fundamentis hanc ſententiam.

17 Sextam calumniam, ſeu propoſitionem, qua aſſeritur, *pœnitentibus fuiſſe olim injunctam publicam occultorum quoque criminum confeſſionem*, in nullo Scriptore Catholico reperiri dicit. Illa tamen reperitur in ſatis multis, qui de publica fœminæ Conſtantinopolitanæ confeſſione, cujus occaſione Nectarius celebre decretum edidit, diſputant, ut videre eſt apud Morinum de adminiſtr. ſacr. Pœnit. l. 5. c. 8. ubi Author multis eam propoſitionem confirmat.

Cum

Cum autem Morinum, ubi de veteris pœnitentiæ diſciplina ſermo eſt, ſequantur communiter rigidi Doctores, jam hi communiter eam propoſitionem admittunt.

Septimam propoſitionem, qua aſſeritur, *publicam pro delictis etiam accultis pœnitentiam ſubeundam olim fuiſſe*, admitti à ſuis Doctoribus ſatetur. Igitur falſi nihil in hoc eis affingo. Operam autem perdit dum eam opinionem argumentis fulcire nititur, tum quia non eſt is locus, tum quia debuiſſet etiam ſolvere & verè ſolvere argumenta contraria. Et præſertim ea duo, quod nempe communis modò Theologorum ſententia innixa rationi, & decretis Conciliorum docet, non licere ad pœnitentiam publicam pro delictis occultis ſubeundam cogere Pœnitentem, quodque qui ſic cogeret frangeret indirectè ſacrum ſigillum. Primum nec ſolvere conatur. Nec ſane poteſt ſolvi. Quì enim licuit olim, quod modò non licere dicitur ab omnibus ex ipſa natura talis pœnitentiæ, quæ habetur ab omnibus tanquam incongrua tali delicto, & retrahens à Sacramento? Quomodo fuit olim cum laude factum, quod à tot ſæculis ac tot Conciliis ſeverè cavetur ne fiat, tanquam po- 18

tius nociturum, quam profuturum Pœnitenti?

19 Alterum argumentum ſolvere nititur, ſed inutiliter, nec ſatis eruditè, doctèque. Reſpondet enim primò, eâ publicâ pœnitentiâ non fuiſſe manifeſtata occulta peccata, *quia multi graviorum licet criminum puri pœnitentiam publicam pietatis cauſa amplectebantur*. At hoc repugnat Auguſtino dicenti lib. de ſymbol. ad Catechum. *Illi, quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt aut adulteria. aut aliqua facta immania; inde agunt pœnitentiam*. Non deerant fortaſſe qui ſponte pœnitentiam publicam agerent à nullo coacti, ſed innocentes non erant, ut non erat Potamius Epiſcopus Bracarenſis qui ſuum delictum prorſus occultum prodidit univerſo Concilio, aut ſi qui culpa gravi carebant, à reliquis id onus ſubire coactis, aut ex loco, aut ex tempore aut aliunde diſtinguebãtur. Demum id negari non poteſt, ſaltem ex eo pœnitentiæ genere ſuſpicionem aliquam nec temerariam commiſſi gravis delicti excitatam in aliis fuiſſe, cum præſertim ex circumſtantiis conjici facilè poſſet qui ſponte & innocenter, quique ex mandato, & propter culpam ei ſe jugo ſub-

ſubmitterent. Confeſſarius autem hanc ſuſpicionem excitans ſacrum ſigillum abſque dubio non cuſtodit, ut debet.

Reſpondet 2. Pœnitentes voluntariè id onus ſubjiſſe. *Quod autem, inquit, conſentiente, ac volente peccatore manifeſtatur, abſque ſigilli violatione manifeſtari certum eſt.* Licebit ergo Confeſſario præcipere Pœnitenti, ut occulta ſua delicta publicè, & in foro confiteatur. Id autem ipſe negat, & ideo hanc publicam occulti delicti confeſſionem impoſitam unquam ab Eccleſia paulo antè negavit. Rurſus licebit præcipere pœnitenti, ut permittat ab altero publicè recitari occulta ſua delicta. Id enim fieret conſentiente ipſo Pœnitente, qui poteſt pœnitentiam impoſitam recuſare, & abire inabſolutum. Hanc autem pœnitentiam illicitè, & contra regulas Apoſtolicas imponi pronunciavit Leo Magnus, ea celebri ep. ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos. Nunc intelliget Lector, cur meus Accuſator conviciando, exclamando, declamando rem agat ſemper, & vix unquam argumentando. Id enim facit infeliciter, at illud facillimè.

Quod aſſeritur octavo loco, nempe *ab* 20

Eccleſia veteri pro quibuslibet peccatis lethalibus impoſitam fuiſſe publicam pœnitentiam, dicit aſſeri à perpaucis, contrarium verò tradi à fere omnibus eruditis. At nunquam credam, Jueninum Theologum adeo eruditum, ab eruditorum fere omnium ſententia diſceſſiſſe. Credam potius, ipſum communi ſuorum opinioni adhæſiſſe, cùm præſertim ea reliquis ejuſdem ſcholæ ſententis congruat. Eas enim pro quolibet peccato lethali pœnitentias imponendas dicunt, imponuntque (ut conſtat ex multorum atteſtatione) quæ clam fieri difficile poſſunt, eaque praxis tam ſæpe differendi abſolutionem vix locum habeat, ſi non liceat publicam pro quovis peccato pœnitentiam imponere; cùm ea ipſa dilatio pœnitentiæ genus ſit, & ſæpe occulta eſſe non poſſit.

21 Circa calumniam nonam negat pag. 158. ab aliquo tradi eam propoſitionem *conſueviſſe veterem Eccleſiam pœnitentiis viginti, & amplius annorum exercere, & probare pœnitentes*. At omnes deprædicant canones Baſilii, ac Thaumaturgi, dicuntque eos habuiſſe vim veri præcepti, ergo quandoquidem tam longam pœnitentiam imponi præcipiebant,

bant, jam dicunt eam verè fuiſſe impoſitam, nec facilè relaxatam, ne legi videretur illudi, ergo illud aſſerunt, quod ego ab illis aſſeri contendo, aut potius ſuppono.

Eam decimam calumniam, *Per vim fuere fideles à veteri Eccleſia ad publicam, & ſeveriſſimam pœnitentiam compulſi*, ne ſomniando quidem ab ullo Rigoriſta confictam fuiſſe dicit. Ego autem aſſero eam propoſitionem admitti ab omnibus Rigoriſtis, cum Morinum ſequantur omnes. Morinus autem habet innumera, aut placita Imperatorum, aut decreta Epiſcoporum, aut exempla quibus ea ſententia comprobetur ab illis, qui, ut Rigoriſtæ ſemper faciunt, pœnitentiam externi fori cum pœnitentia purè Sacramentali confundunt. 22

Negat ſimiliter Rigoriſtarum eſſe eam undecimam propoſitionem, *ſolùm poſt impletam pœnitentiam abſolvere conſuevit vetus Eccleſia.* At qua fronte id negat aſſeri ab illis, qui hunc veteris Eccleſiæ morem perpetuò prædicant? *Vetuſta illa conſuetudo* (inquit Merbeſius pag. 170.) *differendæ abſolutionis omnibus, & potiſſimùm publicis pœnitentibus, uſque dum peracta ſit ſatisfactio, totis duodecim ſæculis ab* 23

Eccleſia ſanctiſſimè uſurpata in uſum revocare licet. Omnibus, inquit, quamvis *potiſſimum publicis pœnitentibus*. Jueninus pag. 669. *Miniſtri antiquitùs cogebant Pœnitentes ad ſatisfactionem implendam, antequam eis abſolutionem impenderent*. Quin aliqui ex ipſis eò progreſſi ſunt, ut dicerent id præcipi jure Divino, quorum errorem damnavit Alexander VIII. proſcrihens propoſitionem 16. inter damnatas.

24 Duodecimam tandem vocat putidiſſimam calumniam à me excogitatam contra Rigoriſtas. Sic autem pronunciat, quia non legit Morinum à quo ea propoſitio deſumpta eſt. Igitur is Doctor cap. 8. l. 5. ut cap. 4. fuſiùs oſtendam, multa affert ad probandum, Confeſſariis fuiſſe olim permiſſum, aut etiam injunctum prodere, quæ per arcanam confeſſionem noverant. A qua multorum ſententia ipſe minimè recedit, ergo nec rigidi Doctores, qui pro oraculis habent hujus Doctoris ſententias.

Nunc breviter oſtendo, nec ſecundi tomi calumnias quibus præſentis Eccleſiæ benignitas impetitur, eſſe à me confictas,

Dicunt ipſi quidem, ſe noſtram benignitatem,

tatem, & praxim damnare, non autem illam quam ſequitur, aut tolerat Eccleſia, ſed ſibi contradicunt, & eam verè damnant, quæ eſt praxis Eccleſię. Et primò, cùm agunt de antiqua ſeveritate, quærantque, cur Eccleſia tam ſeverè egerit olim cum pœnitentibus, eas rationes afferunt, ut notavi pag. 51. & 84. ex quibus colligitur, ſic eſſe agendum etiam modò, ergo jam damnant Eccleſiam præſentem, quæ ea ratione cum Pęnitentibus modò non agit, ſed alia longè diverſa, ut fatentur. Videatur Merbeſius in ſua Summa to.2. diſſert. 6. de Pœnit. pag. 64. Juenin in ſuo Comment. Hiſtor. Dogm. to.2. diſſert.6. de Pœnit. pag. 671. Genetus to. 4. cap. 7. qu. 2. Ægidius Gabrielis §. 8. part. 2. Specim. moral. aliique paſſim ejuſdem ſcholæ Doctores, qui in omnibus quidem, ſed in hoc potiſſimùm conveniunt. Et quidem ex ipſis propoſitionibus Adverſariorum, quas ſupra recenſui, eſt pleriſque, & paſſim differenda abſolutio, ſunt variis Pœnitentiæ laboribus probandi paſſim Pœnitentes, & bene excolendi, antequam abſolvantur, & ſacræ menſæ accumbere permittantur: hęc autem ita facienda monent, ut qui ſecus fecerit,

cerit, damnabili benignitate contra ſtatuta Patrum, Divinamque ipſam inſtitutionem delinquat, ergo jam damnant communem Eccleſiæ praxim, ex qua iſta non fiunt, imo fieri non debent.

Secundò. Quis tam duræ frontis ſit, ut audeat dicere, eam praxim quam propoſuit, ut optimam, B.Humbertus, S.Antoninus, & ex mandato S.Ignatii Polancus, in ſuo Directorio non fuiſſe praxim communem Eccleſiæ, & ab ipſa Eccleſia approbatam? illa autem ea eſt quam damnant rigidi Doctores, dum noſtram damnant ei penitus conformem, ergo verè damnant praxim præſentem Eccleſiæ, ejuſque in adminiſtrando Sacramento Pęnitentiæ benignitatem, ergo duodecim illæ calumniæ, quibus præſens Eccleſiæ benignitas ex tot illis capitibus in invidiam vocatur, quaſque alter mei Operis tomus rêfellit, fictitiæ non ſunt, ſed ipſiſſimam continent Adverſariorum doctrinam.

25 Ex dictis colligitur manifeſtè, extitiſſe, cùm ſcriberem, (atque utinam nunc non exiſtant) aliquem in mundo Rigoriſmum, ut primo loco probavi. Rurſus extitiſſe eum Rigoriſmum, quem utroque mei Operis to-

mo

mo aggredior, & impugno, ut ſecundo loco probavi. Probandum nunc ſupereſt, hoc morbo veriſſimè laborare Regionem aliquam, ſcholam aliquam, familiam aliquam, cętum aliquem, quocumque tandem nomine is cętus, hæc familia, vel Collegium, & hæc Schola vocetur. Id autem ſequitur ex dictis. Rigoriſmus ſiquidem morbus Doctorum eſt, nec paucorum: non enim, ut ſupra monui, ſic turbarent Eccleſiam, ut eis in officio continendis tot Pontificiis Conſtitutionibus opus eſſet. Cœtum ergo faciunt, & familiam, ſeu Collegium in aliqua regione ſitum. Rurſus ab aliqua Schola ſuos hauſerunt errores. Igitur dictum à me veriſſime fuit, Regionem aliquam, Scholam aliquam, familiam aliquam, aliquem cętum ſeu Collegiū morbo Rigoriſmi laborare.

Hìc Adverſarius dicit, à me indigitari tanquam hoc morbo laborantes aliquas Academias, familias, & Collegia, quæ ipſe nominat. At hallucinatur egregiè, ut ſolet. Eos enim indigitavi ſolùm quos Epiſcopi Galliarum, aliarumq; partium in literis ad Summum Pontificem miſſis indigitarunt, quoſq; ſummus ipſe Pontifex in ſuis Conſtitutionibus, & Brevibus indigitat, ac deſcribit.

CA-

CAPUT III.

Tertia Accuſatio illatæ Patribus, & Conciliis injuriæ ſimiliter diſpellitur.

1 A Accuſor tertiò pag. 32. tanquam *injurius Eccleſiis Græcæ, Africanæ, Gallicanæ, Sanctis Patribus, Conciliis Provincialibus, Summis Pontificibus, & clariſſimis ætatis noſtræ Scriptoribus*. Injurius autem dicor prędictis tribus Eccleſiis eo quòd eas *nimio rigore fuiſſe olim perturbatas*, refero in epiſtòla ad Clericum Rom. primo tomo præfixam. At Gręcam nimio quorundam rigore, qui Moſaicæ legis præceptis aſtringi Chriſtianos volebant, perturbatam fuiſſe, refert S. Lucas Act. 15. & S. Paulus ad Galat. 1. Poſtea vero iterum perturbatam per Euſtathium quændam cenſorem rigidiſſimum, ac tandem ſeveritate quorundam qui publicam delictorum etiam latentium Confeſſionem pœnitentibus injungebant, referunt Authores graviſſimi apud Morinum lib. 5. cap. 8. nempè Pamelius, Tap-

Tapperus, aliique, ut dicetur infra. Africanam vero ſimiliter perturbatam refert S. Cyprianus epiſt.54. ad Cornelium Pontificem, & epiſt.52. ad Antonianum, vocans eos Epiſcopos perturbatores *importunos*, *vel inhumanos cenſores*. Gallicanam tandem fuiſſe, nec ſemel nimio rigore turbatam oſtendit illa S. Cœleſtini epiſtola ad ejus Regni Epiſcopos ſcripta *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri &c. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſolvi poſſit, occidere?* Et illa S. Leonis epiſt. 87. ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos, ubi ſic. *Nulli Chriſtianorum facilè Communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis &c. Cognovimus enim pro commiſſis, & levibus verbis quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſævi ſupplicii ſauciatam &c.* Num in gratiam harum Eccleſiarum dicemus, erraſſe Leonem, Cœleſtinum, Cyprianum, Lucam Evangeliſtam, Paulum Apoſtolum, aut hos injurios erga prædictas Eccleſias fuiſſe? Negabit Accuſator, ſi ſapit; fateatur igitur, deli-

deliquiſſe ſe graviſſimè, dum initio Obſervationis tertiæ totis tribus paginis, conviciis me onerat, illuſumque traducit, quod illud ſolum de prædictis Eccleſiis dixerim quod omnes dicunt, & Authorum tam inſignium teſtimonio confirmatur.

2 Ut autem oſtendat, me injurium in Sanctos Patres fuiſſe, incipit à Tertulliano, nempè ab eo qui Sanctus Pater non eſt. Hunc ego audiendum non eſſe in hac materia dixeram tomo 1. pag. 392. *quia ſemper ex nimio rigore, aut erravit, aut ad errorem inclinavit*. Hìc exlamat Accuſator. *Nonne hoc eſt putidum convicium? Tertullianum Catholicum pro Eccleſiæ diſciplina de pœnitentia ſcribentem Rigoriſmi accuſas? Quis hoc ſcripſit? Quis hoc audivit. Magnus mihi eris Apollo, ſi vel unum doctum piumque hominem iu tui patrocinium potes allegare*. At ego eum Rigoriſtam tunc fuiſſe non aſſero ſic indubiè, ſed aut Rigoriſtam fuiſſe, aut ad nimium rigorem inclinaſſe. Si ergo reperiam doctum aliquem, piumque hominem hanc ei ſaltem inclinationem tribuentem, dicentemque, eum vel in ipſo Opere de Pœnitentia legendum ut ſuſpectum, ero ſtatim magnus judicio ipſius Accuſatoris Apollo.

10. Et quid ſi non unum tantum, ſed duos, eoſque non pios tantum, doctoſque, ſed pietate, doctrina & eruditione præſtantiſſimos? Reperi illos, Cardinalem Baronium, & Cardinalem Bellarminnm triplici ea laude cumulatiſſimè decoratos. Primus ingenuè fatetur, ſe nihil miratum quòd Tertullianus tandem in peſſimum Montani rigoriſmum fuerit lapſus, cum etiam in iis quæ ſcripſit ante lapſum (inter quæ eſt liber de Pœnitentia) oſtendat animum auſterum, ac durum, ſuaque auſteritate inflatum, ac deceptum. Hæc ſunt ejus verba, dum de Tertulliano agit ad an. 201. *Sanè quidem, dum attentiùs, accuratiuſvè conſidero hominis ingenium, nihil propemodum eſt, quod adeò admirer, ipſum lapſum in hæreſim. Ex enim ejus ſcriptis animi ipſius affectus elucent, & perindè atque pictura quædam in tabula demonſtratur. Etenim perſpicitur in illis durum hominis ingenium, auſteruſque animus intelligitur; quippè qui exactioris diſciplinæ, arctioriſque vitæ cultu niſus ſe Judicem gerebat Eccleſiæ, adeout, cùm Chriſtianæ vitæ profeſſionem in ſeveritate, atque auſteritate vitæ collocaret, eò tandem incurrit amentiæ, ut ex aſperioris vitæ cultu de veritate dogma-*

dogmatum judicium faceret, atque temere ſententiam ferret.

Alter nempe Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis de Tertulliano loquens ſic habet in fine. *Illud poſtremò addendum videtur Tertulliani libros cum judicio eſſe legendos, non eos tantum* (nota) *quos Sancto Hieronymo teſte contra Eccleſiam propriè ſcripſit. ſed etiam librum adverſus Praxeam, librum de anima, librum adverſus Hermogenem, librum de carne Chriſti, & LIBRUM DE POENITENTIA. In his enim propoſitiones non paucæ, vel erroneæ, vel certè ſuſpectæ occurrunt.* Quid eſt autem habere propoſitiones, vel erroneas, vel ſuſpectas, niſi aut errare, aut ad errorem inclinare? Qui fieri poteſt, ut quod Bellarminus dicit citra ullum Convicium in Tertullianum, ego aſſeram cum putido convicio?

Verùm, ſi ego conviciofus in Tertullianum fuiſſe dicor, maximè conviciofus in eum fuiſſe dicetur S. Hilarius cui non unus tantum, vel alter Tertulliani liber, ſed nullus ſatis authoritatis habere viſus eſt. Siquidem in Matth. can. 5. de eo loquens ſic habet. *Quanquam, & Tertullianus hinc* (nempe

pe de oratione) *volumen appoſitum ſcripſerit*, *ſed conſequens error hominis detraxit ſcriptis probabilibus authoritatem*.

A Tertulliano tranſit Accuſator pag.40.ad 3
S.Cyprianũ, cui putat à me irrogatam duplicem injuriam. Prima ea eſt, quod ejus decretum non abſolvendi eos qui poſt peſſimam vitam in mortem diſtulerant pęnitētiam appellem *ferale*. Sic autem invehitur in me. *Ubi eſt pudor, Francoline, appellare ferale decretum quod à S.Cypriano, à Sanctis Eccleſiæ Africanę Pręſulibus extorſit temporis, & lapſorum neceſſitas. Siccine revereris Patres, ſiccine colis Martyres. Dic, rogo te, quis author Catholicus Africanæ Eccleſiæ decreto, quo de agitur, ferale illud epithetum tribuit? neminem novi, tu unus es &c.*

Docebo te, qui epithethum illi decreto longè ſignificantius tribuit. S. Cœleſtinus is eſt, qui illud ipſum decretum renovatum poſtea à quibuſdam Gallicanis Epiſcopis appellavit horribile, impium, & crudele. Sic autem illud appellavit S. Pontifex, quia tale eſt, niſi excuſet animus decernentis, qua ratione ut excuſare debemus hos Epiſcopos Gallicanos, ita debemus excuſare S. Cyprianum. Verba Cœleſtini ſcribentis ad prædictos Epi-

ſcopos ep.2. cap.2. ſunt hæc. *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore recurrēti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſolvi poſſit, occidere? Cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſſimus, & invitans ad pœnitentiam ſic promittat peccatori inquiens, quacumque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei, & iterum, nolo mortem peccatoris &c.* ex quibus verbis, & ſequentibus patet, eos Epiſcopos non denegaſſe quidem omnibus morientibus abſolutionem (quod nunquam à viro Catholico factum fuit) ſed peccatoribus, qui prius pœnitentiam agere detrectaverant, ut fecerat S. Cyprianus putans eorum pœnitentiam non eſſe veram, quam perſuaſionem hic improbat Cœleſtinus, & poſtea improbavit etiam S. Leo epiſt. 89. mandans Epiſcopo Forojulienſi, ut prædicti abſolverentur. *Nec ſatisfactio*, in-

quit,

quit, *his interdicenda eſt, nec reconciliatio denegada, quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio, dicente ſpiritu Dei per Prophetam, cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*, additque ſe *credere, ipſorum pœnitentiam eſſe ex Dei inſpiratione conceptam*. Igitur mihi laudi potius tribuatur quàm culpæ, quod cùm illud decretum potuerim, authore Cœleſtino, vocare horribile, impium & crudele, ſolum appellaverim ferale. Quod enim dicis fuiſſe illud decretum neceſſitate temporum & lapſorum extortum, imperitè dicis, & contra Cœleſtinum, cujus verba ſi benè expenderis, intelliges, illud eſſe omnino illicitum, & contra inſtitutionem Chriſti Domini, qui ut voluit in morte nemini ſatis inſtructo denegari Baptiſmum, ita voluit, nemini petenti dicentique ſe verè dolere & proponere, denegari Sacramentum Pœnitentiæ, quod Tridentinum movit ad intrepidè pronunciandum, fuiſſe ſemper in Eccleſia cuſtoditum, ut quilibet à quolibet Sacerdote, & à quibuſvis delictis in morte poſſit abſolvi. Putavit enim ab Eccleſia, quæ errare non poteſt, nunquam fuiſſe factum, quod

licitè fieri non poteſt. Sed ipſe ut accuſes me, non dubitas accuſare Cœleſtinum, Tridentinumque.

4 Altera, qua pecco in S. Cyprianum, injuria, judicio Accuſatoris, ea eſt, quod aſſero, eum in illa cum Stephano controverſia de Baptiſmo fuiſſe *fortaſſe ſchiſmaticum aliquandiu* aſſertque duo loca, unum ipſius Cypriani, alterum Auguſtini, quibus probet, eum ſchiſmaticum non fuiſſe, perinde ac ſi dixerim abſolutè, eum fuiſſe ſchiſmaticum. Nemo autem non videt, quantum diſcriminis ſit inter eum qui Cyprianum vocat abſolutè ſchiſmaticum, eumque qui *fortaſſe* ſchiſmaticum *aliquandiu* eum fuiſſe dicit. Primus de Cypriano temere judicat, eumque ſine teſte, ſine probatione reum facit, alter ſolam dubitationem ſuam profert, ne ſolùm pro aliquo brevi tempore ea ſciſſionis culpâ ſe obſtrinxerit Cyprianus. Primus opponitur Auguſtino, cæteriſque paſſim Scriptoribus negantibus, eum à Stephani communione receſſiſſe; alter verò nulli adverſatur, cum nullus aſſeruerit, aut aſſerat, eſſe id adeo certum, ut nec dubitari prudenter poſſit, ne ea unio fuerit ſaltem pro aliquo brevi tempore interrupta; quin videtur adhære-

re

re Auguſtino, qui de bapt. contra Donat. lib.5. cap.25. fatetur, ea interceſſiſſe inter Stephanum, & Cyprianum, quæ *periculum perniciosæ diſsenſionis habuerunt*: quod enim Auguſtinus vocavit periculum diſſenſionis ac diviſionis perniciosæ, dixi ego fuiſſe *fortaſse* initium aliquod diſſenſionis, ſeu brevem aliquam diſſenſionem, diviſionemque.

Cæterùm hanc dubitationem non eſſe temerariam fatebuntur quicunque noverit 1. Cyprianum non ſolùm obſtitiſſe Stephani decreto, ſed ipſum decretum verbis aſperioribus damnaſſe in ea ep. ad Pompejanum. 2. Epiſcopos ad Concilium convocaſſe, ut diſcuterent, quod jam erat à Pontifice firmatum ut minimè faciendum. 3. Stephanum, ut teſtatur Firmilianus Ceſareæ Epiſcopus ad Cyprianum ſcribens, fuiſſe valde commotum in Cyprianum, & abſcidiſſe à ſe omnes Epiſcopos Orientis, & Africæ, qui ſuo decreto obſiſterent, aliquoſque ex illis qui Romam Africanæ Eccleſiæ legati venerant, abjeciſſe à ſe tanquam abſciſſos, & fidelibus præcepiſſe *ne eos in domum ſuam reciperent*.

Hanc Firmiliani epiſtolam quæ eſt 75. inter epiſtolas Cypriani, eamque, quam idem

Cyprianus ad Pompejanum ſcripſit, nempe 74. & quæ habet Card. Baron. ad an. 258. referens, quæ Cyprianus dixit in Conc. Carth. hæc, inquam, omnia ſi legerit Accuſator ipſe, ſuam, quam de me ſententiam tulit, fortaſſe damnabit, meamque illam dubitationem abſolvet; cùm præſertim non ignoret, illud à me fuiſſe de Cypriano dictum eo in loco, nempe tom.2. par.180. non ut aliquid detraherem de honore debito Sancto Doctori, eidemque Martyri celeberrimo, ſed ut oſtenderem exemplo duorum ingentium virorum, nempe Policratis, & Cypriani in quantum ſe diſcrimen conjiciant, qui Pontificum decretis obſiſtunt.

Hæc ſatis vindicare videntur ab omni nota temeritatis ea tria verba quæ Accuſator redarguit. Si tamen adhuc diſplicent, tam eſt facile remedium, quàm facile eſt tria verba expungere, vel delere: non enim illa quidquam addunt, aut detrahunt doctrinæ meæ.

5 A Sancto Cypriano tredecim integra ſecula tranſiliens ad S. Carolum Boromæum deſcendit, *ne longior ſit*, inquit ipſe hac pag.42. cùm dicere debuiſſet, ſe in totis duobus mei Operis tomis nullum alium reperiſſe Sanctum Patrem, cui, vèl judicio lectoris inimi-

ciſſimi, videar injurius. Dicit autem, me obloqui de Inſtructionibus S. Caroli, quia referens opinionem nonnullorum dicentium, eas à S. Epiſcopo ætate,& ſapientia immaturo fuiſſe conſcriptas, eam ut falſam, ac D. Carolo indecoram non refello. At quomodo non refello, ſi diſertiſſimè aſſero, me eam opinionem non ſequi, quam certè, ſi veram judicarem, utique ſequerer, utpote meo negotio accommodatam, ut ipſe Accuſator eam vocat?

Eſt autem æquè falſum, quod ibidem dicit, nempe à me deſcribente ſtatum illius Eccleſiæ, cùm eam S. Preſul gubernandam ſuſcepit, *Mediolanentium vitia immaniter exaggerari*: cum nec vitia Mediolanentium ego deſcribam, ſed vaſtiſſimæ illius diœceſis, quæ plures provincias complectitur, quæque vitioſiſſima eſſe queat, etiam Mediolanenſibus non vitioſis; cumque nihil ibi afferam aliud, quàm relata à Juſſano in vita Sancti Caroli, fideliſſimè ea, quæ ipſe dicit, excribens. An hanc injuriam Juſſano irrogabit, quod ſuorum Mediolanentium vitia immaniter exaggerarit? Parva ſunt hæc, ſed oſtendunt, ab eo nihil prorſus afferi quod falſum non ſit, uti etiam eſt illud quod addit, nempe haberi à me

eas inſtructiones, tanquam noſtris temporibus minimè neceſſarias, aut utiles, quod nec ego aſſero, nec ex iis, que priùs aſſerui, colligitur. Omnibus temporibus illæ Inſtructiones congruunt, ſed non omnibus locis, aut perſonis, aut morbis. Si morbus qui curari debet, tantus eſt, & ægri illi ſint, aut illis ſimiles, quos curare debuit S. Præſul, nempe ejus indolis, & inſtitutionis, ſunt illæ neceſſarium, nedum utile remedium, aliis verò non item, ut ibidem moneo ſequens in hoc Merbeſii, & Juenini exemplum ſic excuſantium rigidiſſima illa Eliberitanorum Patrum decreta. Quæ ratio ex loci aut naturâ, aut vitio petita ea eſt, propter quam Concilia generalia à tam multis Decretis abſtinent, quæ ſanctiſſimè conduntur à particularibus Conciliis, quorum decreta, cùm aliquid circa mores ſtatuunt, non ſatis prudenter proponuntur ſemper, ut regula generalis.

In eodem illo loco, quem allegat Accuſator, dico, aliâ etiam ratione, præter morbi gravitatem, motum S. Carolum ad eas Inſtructiones proponendas. Allata enim prima ratione petita ex morbo graviſſimo, ita ſubdo pag. 221. *Alia etiam ratio D. Carolum movit hanc*

hanc inire viam. Id Adverſarius diſſimulat, & refert pro ea fide qua ſolet, *innui à me dexteriter, SOLA immania Mediolanentium vitia impuliſſe Sanctum Paſtorem, ut Inſtructiones pluſculum ſeveras Confeſſariis daret*. Cæterum quod attinet ad has Sancti Caroli Inſtructiones, oſtendo ſatis manifeſtè tom.2. à pag.222. eas meæ doctrinæ contrarias non eſſe.

Tertulliano, S. Cypriano, ac D. Carolo inutiliter, & infeliciſſimè vindicatis, aggreditur pag. 45. defenſionem omnium Patrum in univerſum, quibus omnibus injurium me eſſe dicit primò, quòd in caſuum reſolutione majoris eſſe ponderis doceam authoritatem juniorum Caſuiſtarum, v. g. Filliutii, Tamburini, Caramuelis, Baunii &c. quàm veterum Doctorum e. g. Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii Magni &c. 2.quod Patrum ſcripta & lectionem commendem nunquam, juniorum vero Caſuiſtarum opera & lectionem ſummis efferam encomiis. 3. quod avocem Clericos à lectione veterum Patrum, eoſque addicam lectioni novellorum Caſuiſtarum. 6

Primum Accuſationis caput continet falſitatem manifeſtam, nam in ipſa totius Ope-

Operis præfatione diſertè aſſero, me non præferre noſtram ætatem in *pluribus & præcipuis*, ſed *in aliquibus*. Tom. 2. pag. 113. aſſero me nunquam *dicturum, Recentiores præferendos eſſe veteribus, ſed eorum ſcripta boni aliquid continere, quo vetera carent, ut boni aliquid continet equus, quo caret homo, quamvis non ſit homine præſtantior.* Et pag. 118. ſic interrogo, *Quis ita deſipiat, ut mille Suariis non præferat Auguſtinum?* Qua igitur fronte me ſic interrogat Accuſator, *ſi putas anteponendos eſſe veteres junioribus, quare hoc aſſertum rotundè non ponis in tuo ſcripto?* Potuit ne rotundiùs id aſſeri, quàm dicendo, non ſolum mille Filliutiis, mille Tamburinis &c. ſed mille Suariis, quos tu pag. 97. dicis à me *percenſeri inter prima Cœli Eccleſiaſtici luminaria*, eſſe præferendum Auguſtinum? Quæris poſtea, cur multis argumentis non probaverim, Veteres eſſe junioribus anteponendos? Reſponſio eſt in promptu. Quia videlicet opus non fuit ut id facerem, cùm nec locus id poſceret, nec ratio. Nullus enim ita deſipuit (ut mox dicebam) ut putarit ſic abſolutè, veteres non eſſe junioribus anteponendos in doctrina morali, ubi veteres queſtionem moralem dilucidè tractant, aut dilucidè ſolvunt. Nec

Nec ex ſecundo capite colligit Accuſator quod intendit. Non enim Recentiores laudavi, quòd hos pluris facerem, quam Patres, ſed quòd ea laude non indigerent hi ab omnibus celebrati, ut indigent illi à tam multis tanquam errorum ſatores pedibus protriti, quòdque ea ſit temporum ratio, quæ laudem illorum, non iſtorum expoſcat.

Id eſſe veriſſimum ſapiens quiſque fatebitur, qui erroris modo ſerpentis in Eccleſia, 7
eique maximam perniciem minitantis ortum & indolem non ignorarit.

Janſeniſmus is eſt, cujus prima ſemina jecit Bajus, hujus autem errores ortum habuere ex contemptu Theologiæ Scholaſticæ, ejuſque rationis in loquendo ſcribendo, ac diſputando, quo Theologi tunc utebantur, utunturque etiam modo, à quo recedendum putavit Bajus, & cum Patribus loquendum, hinc horum lectio retenta & frequentata, illorum verò neglecta, aut etiam omiſſa. Id conſtat ex tota hiſtoria cauſæ Bajanæ, quam deſcribit Author anonymus Bajo nihil infenſus in recentiſſima, quam edidit ejus operum, aliorumque ad ejus doctrinæ originem ac damnationem pertinentium collectione. Pag. 192.

inde

inde Bajanæ doctrinæ originem trahit, quod Bajus cum Joanne Heſſelio ſuo Collega *hanc docendi Theologiam methodum ſibi in Academia Lovanienſi præſcripſit ab anno* 1551. *qua Sacræ Scripturæ Sanctorum Patrum, ac præ cæteris Auguſtini, quem Hæretici ſe ſpeciatim revereri profitebantur, ſententias, ac verba diſcuteret, explanaret, ac traderet.* Idem refert, uti Tridentina Synodo propter bellorum tumultus ſuſpenſa an. 1552. *Ruardus Tapperus & Judocus Raveſteyn Tiletanus ſacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia Magiſtri Lovanium ex Concilio reduces, cùm intellexiſſent, Michaelem Bajum NON VULGARI SCHOLARUM MORE de rebus Theologicis diſſerere, ſed ſacræ Scripturæ verbis, ac genuinis* (ut Collector de ſuo ſenſu dicit) *veterum Patrum præſertim Auguſtini ſententiis, FIRMITER adhærere, in ipſum inſurrexerunt, ac adeo vehementer ſunt invecti, ut Tapperus, quem Michael Bajus in Theologia Magiſtrum ſe habuiſſe profitebatur, ſed CUJUS OPINIONES JAM NON DEFENDEBAT, ſemel zelo furens de eo dixiſſe feratur: Quis Diabolus in Scholam noſtram iſta dogmata, nobis abſentibus, invexit; hinc gravis in Michaelem Bajum cæpit excitari procella*

ab

ab iis, qui ſuis imbuti opinionibus, ac ſuis definitionibus magis aſſueti (ſic deſcribit is Bajanus collector veræ Scholaſticæ Theologiæ Doctores) *quàm ſacræ Scripturæ, ac Sancti Auguſtini ſententiis, impium, blaſphemum & hæreticum cenſebant quidquid extra Scholæ ſuæ uſum tradebatur*. Quare idem Judocus Raveſtein Tridento, quò reſumpto Concilio miſſus fuerat etiam Bajus, Lovanium reverſus ita ſcribit in epiſtola quam idem Collector recitat pag. 37. *Poſt reditum noſtrorum Doctorum è SS. Tridentino Concilio iterum recrudeſcunt contentiones in noſtris Scholis Theologicis propter NOVAS ſententias quas illi boni viri* (nempe Bajus, & Heſſelius) *in Scholis, uti ante Concilium ſolebant, invehunt, & MAGNA FIDUCIA, REPUDIATA COMMUNI DOCTRINA, TUENTUR, quas eos confidebamus mutaturos, & correcturos, poſtquam cum viris doctis in Concilio ſuper eis contuliſſent, ſed intelleximus, eos tanquam SECUROS de ſuarum opinionum veritate* (is eſt præcipuus Janſeniſmi character) *de eis ne verbum quidem apud illos feciſſe*.

Eadem erat aliorum querela. B. Pius in prima Conſtitutione quam contra Bajanos arti-

articulos an. 1567. edidit, eos *novas opiniones* appellat.

Card. Granvellanus in epiſtola ad Morillonium Romæ eodem anno ſcripta de Bajo queritur quod ſibi nimiùm tribuens à receptis apud Scholaſticos Theologos opinionibus recederet, & inveheret periculoſas NOVITATES. Et in alia ad eundem eodem anno ſcripta, *meminiſti*, inquit, *uti Bajus in lectionibus, ac diſputationibus terminis utebatur ab antiqua Schola non uſitatis*.

Idemque Baius, cùm publicam lectionem in dicta Academia haberet ann. 1570. & de articulis à B. Pio damnatis loqueretur, ſic habet, ut apud eundem Collectorem pag. 141. *Quidam horum articulorum ſunt falſi, & rectè damnantur. Alii male intellecti. Aliqui à Collectoribus non recte collecti. Aliqui verò TANTUM ODIOSI* (& hos fatetur eſſe ſuam doctrinam) *QUOD IN EIS SERVATUS NON SIT CONSUETUS USUS LOQUENDI SCHOLÆ videlicet ſecundum SCHOLASTICOS RECEPTOS, quùm tamen Patres aliquoties reperiantur eodem modo loquuti*. Idemque Baii operum collector Doctores Baio contrarios, à quibus ille receſſerat, appel-

appellat *homines futilibus Scholarum tricis*, *ac vanis diſputationibus magis addictos, quam ſacræ Scripturæ*, *ac Sanctorum Patrum ſtudio*, cuiuſmodi ſunt apud Janſeniſtas noſtri omnes Theologi ſpeculativi.

Crevit autem Baianorum, & poſtea Janſenianorum odium in Theologiam ſpeculativam, ac Doctores recentiores, & ſimul amor in Patres, poſtquam opera, & niſu prædictorum Theologorum Romæ, & in omnibuc Academiis damnati fuerunt, & poſtquam eo ſpecioſo prætextu tradendi ipſiſſimam Patrum Theologiam deceperunt multos, & doctrinam ſuam propagarunt.

Ut autem in Controverſiis ſpeculativis, 8
ſic in Moralibus docuerunt, eſſe unicè conſulendos Patres, Theologos verò Morales quos Caſuiſtas dicimus, tanquam doctrinæ Patrum corruptores habendos. Hinc ortus fuit Rigoriſmus, invectæque ſententiæ rigidiſſimæ, partim ex aſtu, nempe ut promovere diſciplinam, & pietatem, ac tutiora ſectari ſe crederentur, partim ex imperitia, Patribus non intellectis, habitiſque eorum conſiliis tanquam arctiſſimæ diſciplinæ præceptis, ut ſupra obſervavimus.

Id conſtat ex omnibus, quotquot ipſi ſcribunt libros de Theologia morali. Vix enim allegant unquam eos Theologos morales, qui Scholaſticam ac ſubtilem Theologiam profeſſi ſunt, & more Scholaſtico rem, de qua agitur, expendunt, ac definiunt, ſed Patrum textus congerunt ad rem nihil facientes, cùm in illis, aut non agatur de controverſia propoſita, aut nihil definiatur circa obligationem, & multò minùs circa gravem, vel levem, ſed ſolum moneantur Fideles, ut aliquid faciant, vel ne faciant, terminis quidem non rarò ſignificantioribus, ſed quibus, etiam cùm nulla imponitur, aut declaratur obligatio, abundant ſacri Oratores, & ipſe Chriſtus in Evangelio, ut cùm agit de abrenunciatione divitiarum, honorum, aliorumque hujuſmodi, quæ tamen licitè retineri poſſunt.

Id fieri non ſolùm à Janſeniſtis, ſed etiam à Doctoribus rigidioribus oſtendo non ſemel in Clerico Rom. & in Tractat. de Dolore &c. expendens textus à Merbeſio, Caſtorienſi, & Juenino allatis, & poſſem hìc iterum oſtendere, niſi ante me oſtendiſſent alii multi, illud obſervantes, prædictos Doctores confundere præcepta, circa quæ verſatur Theologia

logia Caſuiſtarum, cum conſiliis, circa quæ verſatur Theologia Aſceticorum, quos vulgò myſticos, aut ſpirituales dicimus, quorum proinde textus abs re proferuntur cum reſpondendum eſt caſibus Conſcientiæ. Patres autem in moralibus de quibus tractant, agere Myſticos plerumque aut Sacros Oratores non autem Caſuiſtas, norunt omnes. Hinc ii ipſi qui Theologiam moralem juxta Canones, & Sanctos Patres tradere ſe profitentur, cùm implexa aliqua quæſtio incidit, vel cum examen pro excipiendis Confeſſionibus, vel obtinendo beneficio ſubeundum eſt, non recurrunt ad Patres, ſed Caſuiſtas legunt, & perlegunt, & niſi id faciant, hærebunt plerumque dubii, nec reſpondebunt quidquam, aut male reſpondebunt. Nec ipſe D. Thomas quæſtionibus de moribus, quas ſæpiſſimè ſpeculativis interſerit, reſpondet in corpore articuli ex Patribus & Conciliis plerumque, quamvis eorum ſententias, & canones non ignoraret, ut eos non ignorabat Suarius & Vaſquius, qui innumera proferunt in queſtionibus Fidei ſpeculativis Patrum teſtimonia, Conciliorumque, & ex ipſis ſemper reſpondent, non ſic in moralibus. Cur hoc? niſi quia Fidei do-

ctrinam exactè tradiderunt Patres, ad eas quæ ſurrexerunt hæreſes profligandas, non ſic tradidere doctrinam moralem, qua ſatis monſtrentur in ſingulis caſibus limites præceptorum, aut non ita tradidere, ut facile pateat omnibus, ſed debet ex generalibus & remotis principiis erui, eruta oſtendi, & explicari, quod fecerunt Scholaſtici, Caſuiſtæque.

9 Eſt igitur indubitatum, ac certum à tuta via aberraſſe, & in anfractus, & labyrinthos ſe conjeciſſe prædictos Doctores Bajanos, Janſeniſtaſque, dum ſubtili Theologia Scholaſticorum, & morali Caſuiſtarum relictâ, ad Patres, & Concilia ſe contulere totos. Revocandi ſunt igitur in viam rectam, ad ſtudium ejus ſcholaſticæ, quam deſeruit Bajus, & Janſenius, ad amorem eorum Doctorum, à quibus Bajus, & Janſenius abſceſſit, ergo ad amorem, ad lectionem, ad ſtudium Recentiorum, hos enim deſpexit Janſenius, his ſimiles deſpexit, ac deſeruit Bajus: nec permittendum eſt ipſis: ut ſe totos immergant Patribus, qui quamvis Doctores optimi ſint, ipſis minus utiles ſunt; ipſis inquam, qui ſibi nimis ſapiunt, qui ſuo judicio nimis fidunt, qui dum ſolos Patres legunt, eos pluris fa-

cien-

ciendos docent, quam Pontificum Bullas, Ut ſacra veteris Teſtamenti pagina optima eſt, non ſic autem quibuſdam Hebræis recèns converſis erat, vitio ipſorum, qui ſolam ipſam legebant, ſoli ipſi inhærendum putabant, utque optima eſt novi Teſtamenti pagina, non autem Hęreticis, qui eam ſolam legendam, eam ſolam, & quidem, ut ipſis privatim videtur, audiendam docent.

Hinc autem ſequitur, non fuiſſe me re- 10
darguendum, quòd impugnans Rigoriſmum, qui Janſeniſmus quidem non eſt, ſed eſt error præſertim Janſeniſtarum, & ab ipſis invectus, aut renovatus, non laudaverim Patrum ſcripta, & lectionem, ſed Recentiorum, qui ſint tutæ ſanæque doctrinæ, ut multi ſunt. Sunt quidem Patres digni, qui laudentur magis. Sed non erat is locus eos laudandi. Non ignorabat D. Paulus, legem Moſaicam, etiam cum vigere deſiit, fuiſſe laude dignam, eam tamen non laudat aliquando, ſed potius, ut videtur, deprimit, & modò eam vocat quaſi occaſionem peccati, *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum*. Ad Rom. 5. *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam* 2. ad Cor. 3.

Digitized by Google

modò miniſtram mortis appellat, *Miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus*, 2. ad Cor. 3. modò infirmum, & egenum elementum. *Cum cognoveritis Deum; quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis*. Ad Gal. 4. modò, ut apud Cornel. aliqui exponunt, detrimentum ipſum. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, ut Chriſtum lucrifaciam*. Ad Philip. 3. Cur hoc? Quia Judæi recèns converſi ſuo Moyſi, ſuis Prophetis nimis quodamodo addicti apparebant, & vix non ipſi Chriſto eos præferre videbantur, nec aliter à ſuis perſuaſionibus abſtrahi poterant. Declinandum Paulo fuit quaſi in extremam partem, ut eos in viam mediam revocaret. Quod poſtea fecerunt Sancti Doctores, cum contra Novatores ſcripſere. Ut obſervat S. Thomas in cap. 1. Jo. lect. 3. *Antiqui Doctores, & Sancti emergentes errores circa Fidem ita perſecuti ſunt, ut interdum viderentur in errores labi contrarios*. Et loquens de S. Auguſtino S. Bonaventura in Breviloq. par. 3. cap. 5. *Ut Pelagianos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, minùs volens intelligi*.

Hæc

Hæc quicunque ſapiens expendet, ridebit penitus, ut paulo ante dicebam, quæ Accuſator declamando, conviciando, & exclamando jacit in me tanquam Patrum contemptorem, & vindicem omnium Caſuiſtarum, Recentiorumque, cùm præſertim diſertè aſſeram, à me non laudari omnes Recentiores, ſed præſtantiores, idque ad hunc finem quem dicebam, non autem ex eo quòd Patribus putem præferendos recentiores. Id moneo in præfatione totius Operis n.6. poſtquam de contẽptu Recentiorũ, quem præſeferunt Adverſarii, mentionem feci, ita ſcribens, *Hinc habes, cur me aliquando, inter legendum excuſare debeas. Ut enim tam periculoſæ multorum perſuaſioni irem obviam, declinandum mihi fuit in alteram partem, & pro Ecclaſia præſenti, pro Doctoribus recentibus, aut minus antiquis, SED INGENTI, SANAQUE DOCTRINA PRÆDITIS, UT MULTI SUNT,* (non autem dixi, ut omnes ſunt) *acriter pugnandum fuit. Qua enim alia ratione poſſem nimii Rigoris fundamenta convellere? Ne igitur mihi ſuccenſeas, antiquitatem non ita liberaliter laudanti, ut cæteroquin vellem, & noſtram ætatem non quidem in pluribus, & præcipuis, ſed* 11

tamen in aliquibus præferenti &c. Non ita demens ſum, ut minuere velim Patrum authoritatem &c. Reliqua loca in quibus hoc ipſum moneo, allegavi ſuperius pag. 121.

12 Ex his patet reſponſio ad reliqua capita accuſationis. Et 1. avoco Clericos non quidem à lectione Patrum, ſed ab ea pernicioſiſſima perſuaſione, quod ſoli Patres aut vix non ſoli legendi ſint, quod non etiam ex Recentioribus ſit Theologiæ Moralis notitia petenda. 2. Avoco Clericos non à lectione Patrum, ſed à lectione præpropera Patrum. Volo ab eis legi Patres, ſed poſtquam Theologiæ ſpeculativæ, rationali, & perdiligenter tractatę quadrienno toto navarint operam, & prima ſaltem hauſerint Theologiæ Moralis principia.

Demum Recentiorum lectionem ſuadeo Clericis, non tamen omnium, ſed eorum qui ſunt ingenti, ſânaque doctrina prędìti, ut multi ſunt apud ęquos rerum ęſtimatores. In his autem aut ſuaſionibus, aut diſſuaſionibus nihil eſſe culpabile, patet ex dictis.

13 Ex Patribus ad Concilia gradum facit Accuſator, meque ſcripſiſſe dicit cum contemptu, & injuria Synodorum Gangrenſis,

An-

Ancyrani, Neocęſarienſis, Laodicæni Arelatenſis, & Eliberitani, dum tom. 2. pag.357. agens de Canonibus pœnitentialibus ita ſcribo. *Reperies ſatis multos conditos à Conciliis particularibus, à Conciliis generalibus conditos vix reperies*. Quibus verbis contineri putat inſignem temeritatem, & falſitatem: temeritatem, quia per ea carpitur, ac damnatur nimii rigoris diſciplina Conciliorum, quæ Eccleſia recepit, & probavit, ut fuere prædicta Concilia, falſitatem verò in eo quod aſſero, non reperiri, aut vix reperiri ullum talem canonem in Conciliis generalibus, in quibus reperiri tam multos dicit, ut ſi colligantur, me obruerent. Hæc ſun ejus verba. *Si liceret per otium, ac immenſum conficere opus liberet, tot, & tantis Oecumenicarum Synodorum Canonibus circa ſolemnem lapſorum in crimina canonica pœnitentiam obruerem temi Francoline, ut velles nolles apertæ veritati manus dares: ſed id penſi genus doctis Europæ viris qui tuam indubiè confutabunt lucubrationem relinquo*.

Neſcio quid hic admirer magis, aut potuiſſe hominem, qui ſe eruditum facit, ſic errare, ſi ita rem eſſe putavit, ut ipſe aſſerit.

aut potuiſſe hominem rigoris vindicem ſic decipere lectores ſuos,ſi credidit id falſum eſſe, quod adeo confidenter affirmat. In octodecim Conciliis Generalibus, quot ab eruditis communiter numerantur,quęque legi ab omnibus facilè poſſunt,unus tantùm aut alter canon reperitur *circa ſolemnem lapſorum in crimina canonica pœnitentiam*: ii ſunt in Concilio primo. In aliis uſque ad Tridentinum tam rarò agitur de Pœnitentia, tam ſuccinctè, ut ſi tota ſimul doctrina omnium jungatur, vix impleat duas pagellas. Et tamen vult Accuſator meus his impleri ingentes tomos, quibus me opprimant eruditi. Quam juſtiùs hìc inſultare poſſem, & exultare. Sed abſit ut vel ſemel faciam quo Lille facit ſemper.

14 Illud etiam eſt falſum quod addit pag.65. dicens,*non loqui ſemper Concilia Oecumenicá de ſolemni lapſorum pœnitontia, vel quia aliis de cauſis ſunt coacta, vel quia diſciplina Eccleſiaſtica circa publicam, & luctuoſam pœnitentiam in Eccleſiis omnibus vigebat, vel tandem quia ſolemni pœnitentiæ imponendæ lapſis in crimina canonica jam ſatis ſuperque cautum erat per Synodos illas priſcas provinciales ab Eccleſia univerſa receptas, à S. Sede Apoſtolica confirmatas.*

Pri-

Prima cauſa eſt evidenter falſa. Siquidem in omnibus ferè Conciliis multa tractantur, ac ſtatuuntur veluti ex occaſione, & non ex primario fine qui movit ad celebrandum Concilium. Præterea, ſi nullum eſt celebratum Concilium in hunc finem, jam falſum eſt quod omnes Rigoriſtæ aſſerunt, nempè poſt ſeculum duodecimum collapſam fuiſſe Eccleſiaſticam circa Pęnitentes diſciplinam. Si enim id verum eſt, ea Concilia quę ſęculo 13. & ſequentibus celebrata fuere, in hunc potiſſimum finem erant convocanda, ut Pœnitentia labaſcens, vel collapſa aut confirmaretur, aut reſtitueretur. Quid modo agerent Rigoriſtæ in Concilio generali, pro reformanda diſciplina pœnitentiæ, clamarent, declamarent, ſcriberent, urgerent. Cur nihil horum factum fuit in prædictis Conciliis? Hinc etiam ſecunda cauſa falſa eſt; nam, ut ipſi fatentur Adverſarii poſt ſæculum 13. deſiit vigere, diſciplina iſta pœnitentiæ, quæ revera neque vigebat antea, ut conſtat ex Patribus tam ſæpè dolentibus quod pœnitentia non ageretur, ut oſtendi in Clerico Rom. diſp. 9. Tertia etiam cauſa vera non eſt, tùm quia agunt Concilia Oecumenica perſæpè de iis

ipſis

ipſis de quibus actum jam fuerat in particularibus, tùm quia poſt eorum Conciliorum canones, adhuc pœnitentia recuſabatur plerumque, ut oſtendi in loco cit. ergo per eas Synodos non erat ſatis cautum : tùm demum quia falſum eſt, fuiſſe ea Concilia ſic univerſaliter recepta, & à Sede Apoſtolica confirmata. Vel ſi fuere, debuit Accuſator afferre iſtam Conciliorum, vel Sedis Apoſtolicæ confirmationem : Quod ipſe nou facit, quia fortè nihil potuit afferre aliud, quam canonem Concilii in Trullo celebrati, nempè ejus Concilii, cujus canones magnę in Eccleſia authoritatis eſſe ipſe idem negat pag. 75. Certè Cardinalis Bellarminus ſcriptor adeo eruditus, & cordatus non ita honorificè ſenſit de Concilio Eliberitano, quod tamen Accuſator recenſet inter recepta, & confirmata. Igitur temerè mihi notam temeritatis inurit.

15 Sedi tandem Romauæ injurium me fuiſſe dicit pag. 66. eo quod Morino afferenti contra me ſevera quædam Pontificum reſponſa, nempè longas quaſdam & aſperas pœnitentias ab eis impoſitas, ſic reſpondeam tom. 2. pag. 361. *Sed primò hujuſmodi reſponſa eorum Pontificum non ſunt, quos præ cæteris, aut ex*

anti-

antiquitate, *aut ex ſanctitate*, *aut ex doctrina celebramus*. Quam reſponſionem putat eſſe *inverecundam*, *impudoratam*, *&* *contumelioſam Sanctæ Sedi*, perindè ac ſi diſtinguam inter Pontificum reſponſa, nec unam & eandem omnium eſſe authoritatem credam. Sed hìc non agitur de doctrina Pontificum in qua certè eadem omnium authoritas eſt, ſed de factis Pontificum, quæ certè non fuerunt eadem; nec omnes fuerunt æquè mites, & benigni. Ibi autem in commendationem benignitatis noto, Pontifices aut ſanctiores, aut doctiores, aut antiquiores fuiſſe (ſaltem ut plurimùm) magis benignos, ſeu minus ſeveros in imponendis pœnitentiis. Quæ obſervatio ſi inverecunda, impudorata, & contumelioſa Sanctæ Sedi ſit, ſic erit omnis laus, qua unus Pontifex præ alio Pontifice, vel ex doctrina, vel ex celſitudine, & capacitate animi, vel ex liberalitate, aut alia hujuſmodi virtute celebratur.

Mirum autem ſit, tam eſſe de Pontificia Sede ſollicitum eum, cujus certè ratio ſcribendi non ea eſt, quam Pontifices laudant, probantque. Sed illud eſt omnino intolerabile quod tertiam hanc Obſervationem, ſeu

Ca-

Caput Operis ſui, in quo Sanctos Patres, Concilia & Romanos Poutifices vindicandos ſuſcipit, incipit à defenſione Gaſparis Juenin, & abſolvit defenſione Caſtorienſis Epiſcopi Joannis Neer-Caſſel, nempè duorum, quorum prior ita ſcripſit in Re Theologica, ut ejus doctrinam recentiſſimè confixerit Pariſienſis Antiſtes. Alterius verò libros Amoris Pœnitentis edit. 1. olim Sedes Romana ſuſpendit. Mitto arctiſſimam ejuſdem Scriptoris conſuetudinem cum Arnaldo, & certam cum eodem in doctrina communionem, ſatis probatam per ea, quæ leguntur in libro nuper edito Bruxellis, cui titulus, *Cauſa Queſnelliana*, cujus memini cap. 2. Hos vocat in titulo capitis clariſſimos noſtri ęvi ſcriptores, hos cum Sanctis Patribus, cum Conciliis, cum Romanis Pontificibus miſcet, laudat, attollit. Id veriùs eſt injuriam graviſſimam Sanctis Patribus, Conciliis, & Romanis Pontificibus irrogare.

CA-

CAPUT IV.

Quarta Accuſatio falſationum in allegando commiſſarum evertitur.

ACcuſor quartò, quòd iniquis falſationibus contra fidem publicam peccaverim.

1 Prima ea eſt, inquit Accuſator pag. 213. quod allego Ruardum Tapperum, Lindanum aliosque, tanquam patronos illius nefariæ propoſitionis, quæ eſt calumnia 12. tomi 1. *Confeſſariis fuit olim permiſſum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata ad eos in officio continendos, revelarent*. At ego refero tantum quæ Morinus affert, ac dicit lib. 5. cap. 8. nempè Tapperum, Lindanum, aliosque putaſſe id verè permiſſum, aut etiam injunctum in aliquibus Eccleſiis præſertim Orientalibus. In titulo enim, ſeu ſumma prædicti Capitis ſic habet. *Nonnulli aſſerverunt crimina occulta ſecretò confeſſa ad Epiſcopum ab eo relata fuiſſe, & ab Epiſcopo publicè antiquitùs renunciata*. In ipſo autem

capi-

capite poſtea ea ipſa loca Tapperi , Lindani , aliorumque allegat, quæ ego fideliſſimè excribo. Et quidem loquens de Tappero dicit,eum putaſſe,non fuiſſe à Nectario ſublatam confeſſionem ſecretam , ſed duo alia , nempè *Confeſſionem deſignato cuidam Presbytero edendam* , *& atrocium peccatorum ſecretò confeſſorum ad Epiſcopum relationem , quæ poſtea publicè toto adſtante populo Chriſtiano ab Epiſcopo , vel ipſo Pœnitentiario enuntiabantur* . Et quidem nominato Pœnitente , cum Alanus Copus ab eodem ibi allegatus diſertè aſſerat , id factum fuiſſe , ut Pœnitentes ea publica , & pudenda pœna puniti à culpis obſtinerent in poſterum. *Cum antea licuiſſet* (inquit Copus ab ipſo meo Accuſatore citatus pag. 227.) *quem libuiſſet Presbyterum , adire , unum aliquem certumque hominem , ad quem hujuſmodi Pœnitentes ſe expiaturi confluerent , conſtituerunt , qui admiſſa ſcelera ad Epiſcopum, ſi neceſſe foret, referret, ut ea in publico Eccleſiæ conventu palam recitarentur , tum ad eliciendas communes populi pro eo preces , tum ad majorem TERROREM reliquis peccantibus incutiendum : quo magis deinceps propter hunc publicum PUDOREM deterriti à gravibus ſe peccatis reprimerent*.Nullus

au-

autem terror, nullus pudor incuſſus fuiſſet reo non nominato. Igitur operam perdit Accuſator, dum hos Doctores vindicat, qui defenſione non indigent, dum ſolum factum referunt, & an fuerit ritè, & licitè factum, non quærunt; & præterea injuſtiſſimam in me, qui dictum à tam præclaris Doctoribus solùm refero, calumniam ſtruit.

Ceterum quàm laxa ſit Rigoriſtarum circa ſacrum ſigillum Doctrina, patet ex damnata 18. Nov. 1682. per decretũ S. Congregationis Inquiſitionis Romanæ eâ illorum ni fallor propoſitione, *ſcientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur*. Quæ exceptio ſi vera eſſet, frangeretur ſæpiſſimè ſacrum ſigillum, & facilè ab iis qui zelum habent, ſed non ſecundum ſcientiam, renovaretur abuſus, qui judicio prædictorum Doctorum, aliorumque fuit à Nectario in Eccleſia Orientali, & à Leone I. in quibuſdam Italiæ Provinciis ſublatus. 2

Ab inutili defenſione prædictorum ſcriptorum, quos nulla in re accuſaveram, pergit

git pag. 231. ad defenſionem Gummari Hui. ghenii, quem veriſſimè, & juſtiſſimè accuſavi tom. 1. pag. 112. quod in Methodo pag. 71. doceat *abſolutionem differri deberi etiam ſponſo, qui mane nuptiis deſtinato abuſum ſe diù ſua ſponſa confitetur, quamvis ſe intimè dolere affirmet, quamvis in id criminis relabi amplius, nec velit, nec poſſit, jam matrimonio licitum faciente quod antea ei erat illicitum, quamvis demum, dilata abſolutione, differendæ ſint etiam nuptiæ cum admiratione omnium pejora ſuſpicantium*. Inquit autem hìc Accuſator, Gummarum nil tale docere ea pag. 71. quam cito. En ingens crimen falſationis quod committo, additque à Gummaro, nec ibi, nec alibi eam doctrinam tradi, ſed potius oppoſitam, ac proindè à me hunc magni nominis ſcriptorem iniquè carpi, infamari, & *omnibus deridendum propinari*. At errat ipſe, meamque fidem infamat. Error quem commiſi fuit in indicanda pagina, non verò in accuſatione doctrinæ, Legat igitur Accuſator paginam 111. uſque ad 117. & inter alia notatu digna reperiet hæc verba. *Si ſponſi prava conſuetudine imbuti ipſo nuptiarum die nulla vitæ mutatione prævia confeſſuri Paſtorem conveniunt, ut matri-*

matrimonium ineant, abſolvendi non ſunt, quid-
quid obloquiorum, turbarum, aut incommodi ſe-
quatur. Non igitur eum infamavi, cùm non 5
numerus paginæ,ſed doctrina in pagina, quæ-
cunque ea ſit, exarata Authorem vel laudet,
vel infamet. Id non latet Accuſatorem meum,
qui eam Gummari Methodum benè compertam habet, ſed diſſimulat, ut me infamet: tota tamen infamia in ipſum recidit, ejuſque doctrinam, nempè Merbeſii, Juenini, aliorumque docentium conſtantiſſimè, non eſſe habendum ritè diſpoſitum Pœnitentem inveterata peccandi conſuetudine implicitum: hinc enim non poſſe eum ſponſum abſolvi, inferunt, intulitque diſertè Juenin pag. 752. ut conſtat ex ejus doctrina quam propoſui cap. 2. quamque damnare jam cogitur Accuſator meus, ut falſam, improbabilem, & deridendam.

Lectorem hìc monitum volo, ut, ſi fortè non habeat Gummari Methodum, conſulat eum librum, qui inſcribitur *Propoſitiones per Belgium diſſeminatæ* edit. col. pag. 127. Quem ſi non habeat, & ad me non gravetur accedere, oſtendam eum libentiſſimè: non enim ſcriptor anonymus ſum,ut voluit Adverſarius

K eſſe

eſſe, ne conveniri poſſit. Legendos dabo omnibus libros quos allego, mihique rem gratiſſimam facient, qui velint potius credere oculis ſuis, quàm verbis meis.

4 A Gummaro non abs re tranſit ad Bajum de quo, cum agerem de Novatoribus qui D. Auguſtinum totum ſuum eſſe falsò gloriantur, ita ſcripſi tom. 2. pag. 172. *Neminem verò ſtultiſſima hæc perſuaſio magis decepit, quam Bajum, & Janſenium. Hinc ille poſtquam novit Romæ damnatam fuiſſe ſuam doctrinam, dolere ſe dixit ſcribens ad Cardinalem Simonetam, probroſam Sanctæ Sedi damnationem, qua videlicet ipſiſſimam Divi Auguſtini doctrinam (ſic ipſe dicit) damnarat.* Hìc autem Accuſator pag. 237. dicit, in hac Baii epiſtola ad Cardinalem Simonetam à ſe perdiligenter lecta, *nec conceptis verbis, nec equivalentibus deprehendi*, quæ refero, fuiſſe Bajo ad eum ſcripta.

5 Ego autem repono, nec fuiſſe ab Accuſatore meo diligenter lectam eam epiſtolam, nec cætera ejuſdem Baii, imo nec ea ipſa verba mea, quæ allegat. Et primò in eadem epiſtola ad Card. Simonetam ſcripta ſub initium dicit ſe ſcribere, quia ea de quibus erat actu-

actus, *non tantum ejus exiſtimationem, ſed etiam doctrinam pietatis, & Sedis Apoſtolicæ reputationem contingere videbantur*, & quare hoc? niſi quia videbatur damnata doctrina Patrum, & præſertim Auguſtini, cujus potiſſimum doctrinam ſe explicãdam ſuſcepiſſe, dicit paulò poſt in eadẽ epiſtola. Secundò circa medium dicit *non habendam eſſe rationem ſui, ſuorumqe libellorum, ſed veritatis, & VETERUM SCRIPTORUM, quæ per eam Bullam Pii multis videntur improbari*. Tertiò In Apologia, quam, in eadem epiſtola dicit, ſe ad eundem Cardinalem mittere, de propoſitione 29. ita pronunciat, *Hæc ſententia non tam ex verbis libelli, quàm ex verbis Auguſtini videtur eſſe excepta.* Quartò In breviſſima Apologia ſententiarum damnatarum, quam Compilator poſt prædictam Apologiam recitat, & forte eam Author ad eundem Cardinalem miſit, cùm prior integra non ſit, *Ad ſententiam* 26. diſertè affirmat, *eam eſſe Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, & Proſperi*. Quintò in eadem Apologia, de ſententia 28. ſic habet: *Eſt titulus capitis 8. libri de Virtutibus impiorum: & IPSISSIMA SUNT VERBA AUGUSTINI l. 3. ad Bonif.* Sextò In Epiſtola

quam ſcripſit ad B. Pium poſt damnationem ſuorum articulorum ſic habet . *Sententiæ damnatæ per hanc inferiorem. Germaniam paſſim habentur, & circumferuntur. Metuimus ne quid veſtræ Sanctitatis exiſtimationi detrahant: non tantum propter manifeſtas calumnias, quæ videntur in eis contineri, ſed etiam propter verba, & ut apparet etiam ſenſus quoſdam Sanctorum Patrum, qui in iis damnari vidētur.* Septimò in Apologia quam miſit ad eundem Summum Pontificem. Ad 3. ſic habet. *Hæc ſententia videtur Contineri in verbis Auguſtini*. Ad 9. citato textu Auguſtini ſubdit. *Quibus verbis MANIFESTE' ſignificat, quod vita æterna non fuiſset homini gratia, ſi in ſua rectitudine perſeveraſset*. Id autem fuerat damnatum. Ad 16. dicit *periclitari verba Evangelii, Apoſtoli, & Auguſtini*. Ad 26. dicit eam eſſe ſententiam Hieronymi, Ambroſii, & Auguſtini. Tandem ne infinitus ſim, ad ſententiam 28. ſic habet. *Si Collector attendiſset quos Doctores Sanctos in ſententia damnandos propinabat, puto quod hanc ſententiam damnandam non obtuliſset; IPSISSIMA ENIM SUNT VERBA AUGUSTINI lib. 3. ad Bonifacium.*

6 Ex his Lector intelligit, non erraſſe me

circa

circa ſubſtantiam; cùm conſtet, ea verba ſcripta verè à Bajo fuiſſe, ſive ea ſint in epiſtola ſcripta ad Card. Simonetam, ſive in ea, quam ſcripſit ad B. Pium, ſive in Apologia miſſa ad prædictum Cardinalem, ſive in Apologia miſſa ad Pontificem. Imo ſi bene mea verba expendet, intelliget, me nullo modo erraſſe, cum dixerim (*ſic ipſe dicit*), quod veriſſimum eſt, quamvis non in ea epiſtola, ſed alibi appellet doctrinam damnatam à B. Pio ſic invidiosè, nempe *ipſiſſimam D. Auguſtini doctrinam*. Hunc Doctorem retractaſſe tandem errores ſuos, nec Hęreticum obiiſſe, fusè probat Accuſator. At Hæreticum eum appellavi nunquam, nec ejus memini in ea diſputatione poſt Lutherum, & Calvinum, quod putarem eum ſemper perſtitiſſe in ſuis erroribus, ut perſtitere illi, ſed quia erravit etiam ipſe, ſuorumque errorum etiam ipſe Magiſtrum jactavit Auguſtinum. Cęterum, ut laude digniſſimus eſt Bajus, quia tandem reſilivit, ita vituperatione digniſſimus. 1. quòd tritam Scholaſticorum viam reliquit, aliamque plenam periculi iniit. 2. quod aliis ita faciendi author fuit. 3. quod Janſenio viam ſtravit, cjuſque erroris, vel hæreſis ſemina

 jecit,

jecit. 4. quod non illico ſe ſubmiſit ſincerè, & firmiter Conſtitutioni Pontificiæ, ſed diù repugnavit. Facti ſeriem refert in hiſtorica Epitome Bajaniſmi edita nuperrimè nempe an. 1703. L. C. de Decker. S. T. Licentiatus in Univerſitate Lovanienſi.

7 Totius autem narrationis ſumma, ut habetur in menſtruis monumentis hiſtoriæ litterariæ, quæ Trivolſii imprimuntur in Galliis anni 1705. menſe Decembris pag. 2020. in latinum ſermonem converſa hæc eſt. *Bajus anno integro, & ampliùs eò adduci non potuit, ut quidquam ejuraret. Et menſe Januario 1569. ſcripſit ad Pium V. Pontificem maximum, timere ſe, ne iſta Bulla ſuæ Sanctitatis exiſtimationi, ac famæ obeſſet, eam calumniis refertam eſſe, in ea doctrinam damnari à SS. Patribus propoſitam &c. Eo ipſo tempore ad Pontificem miſit celebrem ſuam Apologiam, in qua EVIDENTER demonſtrare tentat, multos in illa articulos condemnari, qui ſibi ſine calumria imputari non poſſent, quorum aliquos ipſe S. Auguſtinus docuiſſet. Se nihilominus ſuæ Sanctitatis judicio ſtare. Placuit SS. Patri iterum examinare libros, & propoſitiones Baii, ac finito examine*

per

per Breve Apoſtolicum 13. *Maii* 1569. *confirmavit condemnationem propoſitionum Baii, eique vetuit, ne eas DEINCEPS defenderet; ſed, ut Bullæ ſe ſubmitteret, imperavit.* 20. *Junii ejuſdem anni Vicarius Generalis Cardinalis Granuellani novum Breve Pontificium Bajo tradidit, atq; una ſignificavit, uti latam à Bulla excõmunicationẽ incurrerat SUA CONTUMACIA, cùmq; Bajus abſolutionem illico petiiſſet, reſponſum eſt ei, non ante dandam, quàm errores ipſe ſuos retractaſſet, quæ res homini bilim movit, jamve contumax ſeditionem meditabatur, ſed Parocho D. Gudulæ obnixe rogante, ut mala inde ſecutura perpenderet, ſine mora errores ſuos retractavit, & abſolutus eſt.* Hanc verò ejus retractationem non fuiſſe ſatis ſtabilem, colligi poteſt 1. ex querelis multorum ad Pontificem contra ipſum, quæ fecerunt, ut Lovanium mitteretur Toletus, ad turbas componendas, & animum Baii penitus expugnandum. 2. colligi poteſt ex confeſſione ipſius Baii, qui ſe tandem Toleti colloquiis inductum dicit ad approbandam, recipiendamque, ut maturè compoſitam, Pontificis Conſtitutionem. Sic enim dicit pag. 152. ſecundæ partis. *Ego Michael*

de Bay &c. agnoſco, & profiteor me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum Rev. P. D. Franciſco Toleto &c. ita motum, & eò perductum eſſe, ut plane habeam mihi perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem jure, meritoque, ac non niſi maturo judicio, ac diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis factam, atque decretam eſſe &c. 3. colligi id poteſt ex confeſſione mei Accuſatoris, qui loquens de prædicto Cardinali Toleto pag. 235. ſic habet, *Hic Bajum à pravis illis dogmatibus dimovere ſtuduit &c.* Igitur adhuc illis adhærebat poſt eorum damnationem Pianam ipſi ante annos duocecim indictam, & ritè ſignificatam. Neſcio an qui tam ſerò, tam ægre, turbiſque tam magnis in Belgio, & in Eccleſia excitatis retractavit errores ſuos, ea tam uberi laudatione dignus ſit, quam illi intexit Accuſator meus, tot laudes in id genus hominum congerens, quot in me jacit convicia.

8 Ut enim hìc Bajum Janſenii in doctrina Parentem, ita Arnaldum (quem Janſenii in doctrina filium non abs re vocem) ex ſimili errore, pravaque intelligentia eorum, quæ de ipſo ſcripſi to. 2. pag. 258. inutiliter vindicat

cat pag. 132. non enim Schiſmaticum eum obiiſſe unquam aſſero, ſed exponens ejus progreſſum ab una culpa in aliam, dixi, lapſum tandem eum fuiſſe in Schiſma manifeſtum, nempe in eam pravæ doctrinæ pertinaciam, ex qua ſeparari meruit à corpore Sorbonicæ facultatis. Hanc, & non aliam ſeparationem ibi manifeſtè ſignificat ex toto contextu illud verbum *Schiſma*, & præſertim ex illis verbis, quibus eam narrationem claudo. *Quare eadem facultas ipſum à corpore ſuo juſtiſſimè RESECVIT*. Non erat igitur is locus vindicandi, & multo minus laudandi hunc hominem, cujus octo libros Index librorum prohibitorum inter confixos exhibet.

Pag. 240. Laudato Bajo ita ſubdit. *Tempus eſt, ut falſationes, & interpolationes, quibus Francolinus Sanctos Thomam Aquinatem, Carolum Barromæum, utrumque Franciſcum Xaverium, & Saleſium inquinat, paucis demonſtremus*. 9

Circa D. Thomam dicit, me tom. 1. pag. 119. & 120. aſſerere, uti S. Doctor docuit, teneri Confeſſarium credere Pœnitenti affirmanti habere ſe verum dolorem, & propoſi-

poſitum, additque me approbare verba Suarii, quibus eadem doctrina traditur. At quæ hìc interpolatio, quæ falſatio? Ego ibi id ſolum aſſero, S. Thomam, & reliquos Doctores docere, *in foro conſcientiæ credendum reo pro ſe, & contra ſe*, niſi tamen ſit aliqua præſumptio contra ipſum, ut immediatè antea moneo, & addo, hoc commune dictum ſic exponi à quibuſdam rigidis Doctoribus, ut ſolum ſit credendum reo, dum refert ſua peccata, non autem dum affirmat, ſe eſſe diſpoſitum, quam interpretationem rejicio, ac dico eam propoſitionem eſſe intelligendam ut ſonat & ſine ea reſtrictione, ut eam intellexerunt poſt D. Thomam ejus diſcipuli, aliique, quos allego, & præſertim Suarius. Nullam profectò falſationem, aut interpolationem committo, dum refero, illud eſſe dictum D. Thomæ, quia non affero ullum textum D. Thomæ, in quo falſatio aliqua, aut interpolatio committatur, & illud verè aſſeritur à S. Thoma, nec Adverſarius potuit ullum S. Doctoris textum allegare ad probandum aut illud non dici à S. Doctore, aut in alio ſenſu. Nec falſatio, aut interpolatio ulla in reliquis, in quibus ſimiliter nullum D. Thomæ textum affero, ſed præci-
ſe

ſe ipſum explico, rejiciendo Adverſariorum expoſitionem. Num falſare aut interpolare dicetur qui novam D. Thomæ interpretationem rejicit argumentis adeo invictis, ut eâ ſolvere deſperaverit Adverſarius, ac proinde ne tentaverit quidem? Ut neque tentat eâ ſolvere, quæ in Tract. de dolore neceſſario in Sacramento Pœnit. lib. 1. cap. 5. præſertim num. 21. & ſeqq. attuli ad probandum à S. Doctore minimè poſtulatam fuiſſe in Sacramento Pœnitentiæ charitatem, & quidem nec remiſſam, & inchoatam, quam vocant. Quare inutiliter conatur pag. 130. S. Doctorem trahere in hanc ſententiam.

At certè objecti criminis reus ero dum 10 tom. 2. pag. 225. hanc D. Caroli Inſtructionem affero. *Differenda eſt abſolutio, donec aliqua correctio appareat, iis Pœnitentibus, quos veroſimile eſt ad eadem peccata ſemper redituros, quidquid contra affirment*. Siquidem ea particula *ſemper* quæ hunc textum notabiliter variat, non reperitur, ut Accuſator dicit, in textu Italico, nec in verſione Latina à Petro de Marca juſſu Cleri Gallicani adornata.

At Accuſator neutram ex his verſionibus conſulere debuit, ſed genuinam, quam habet

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus Caſtorienſis in Amore Pœnit. lib. 2. cap. 17. pag. 225. edit. 2. à quo eas quas affero D. Caroli Inſtructiones, excripſi, ut moneo lectorem pag. 222. ubi eas Inſtructiones recitare incipio. Putavi ſiquidem, majorem vim habitura quæ ibi doceo, ſi D. Caroli Inſtructiones peterem ab ipſo Adverſario, qui nihil quod ſibi obeſſet, addidiſſe cenſendus eſt. Ergo quandoquidem eam particulam habent Inſtructiones D. Caroli à Caſtorienſi allegatæ, jam commiſſæ falſationis reus non ſum, ſed ille potiùs, qui, ut ſuo rigori indulgeret, verſionem illam Italicam, aut Latinam in Galliis adornavit, quod confirmatur ex eo, quod eam particulam *ſemper* habent Inſtructiones D. Caroli, quas Lector reperiet in calce libri cui titulus *Enchiridion Eccleſiaſticum* edit. Rom. an. 1676. Typis Franciſci Tizzoni. Locum autem controverſum habet pagina 62. quam ſtatim conſulere Lector Romanus poterit, & cognita veritate fraudes nimii rigoris execrari. Cum enim Accuſator Epiſcopum Caſtorienſem, à quo me eas Inſtructiones accipere profiteor, adire debuiſſet, conſulere maluit, ut mihi crimen imponeret, alias verſiones, nec eis præferre Romanum exemplar, quam-

vis

vis me Romæ ſcripſiſſe non ignoret.

Sed aliud forte majus crimen committit i i' pag. 249. cùm enim Epiſtolas D. Franciſci Xaverii verſionis Poſſini, quibus ego utor tom. 2. pag. 232. habere ad manum non potuerit, ut dicit pag. 248. nec videre, an hìc falſando aut interpolando delinquam, quid facit vir ſeveræ virtutis, ac rigidæ Theologiæ, pro juribus charitatis, ac juſtitiæ perpetuò pugnans? opinatur ſtatim me etiam in his contra fidem peccare. Hæc ſunt ejus verba. *Ego ad manum habere non potui illã Poſſini verſionem, quam puto à Francolino interpolari.* Hanc de mea fide ſententiam fert in fine libelli ſui, in quo de totis duobus meis tomis ſeveriſſimo multorum examini, ac judicio ſubjectis nihil reperire potuit verè falſatum, & interpolatum. Judicet Lector, an hoc judicium ſit temerarium.

Poſtea fusè probare nititur verſionem Turſellini præferendam verſioni Poſſini, quam ipſe non vidit. O iterum bonum Judicem, & nihil temerarium. Sed fortè de ſua ſententia diſcedet, & me penitus abſolvet, cùm nactus fuerit verſionem Poſſini, & legerit in Indiculò exegetico ad ep. 4. libri 4. & ep. 2. lib. 5. eas

ratio.

rationes, ex quibus hæc ſecunda verſio eſt antiquiori pœnitus præferenda. In eo autem Tractatu quem *de Dolore requiſito ad Sacramentum Pœnit.* edidi hoc anno reperiet quæ eſſent hìc afferenda ad reliqua quæ ipſe dicit pag.251. circa Emericum de Bonis, & avitam doctrinam, & ſpiritum Soc. Jeſu. Non enim præſtat hìc ea repetere, & actum agere.

12 Pag.251. dicit à me falsò aſſeri, non conſueviſſe S. Franciſcum Saleſium exigere perfectam contritionem in Sacramento nempe contritionem ſaltem ex Dei amore inchoato conceptam, aſſertque longum textum lib. 2. de Amore Dei, in quo S. ille Antiſtes dicit *Pœnitentiam, quæ excludit amorem Dei, quamvis ſine ipſo ſit, eſſe bonam, & optandam, ſed imperfectam, & quæ ſalutem nobis dare non poteſt, nec ſit nobis quidquam profutura ad vitam æternam*. Igitur Saleſius hìc ſibi contradicit; nam quomodo bona eſt & quidem ſubinde ſupernaturalis (ut certè eſt, & negari à Saleſio non poteſt) ſi ad vitam æternam nihil prodeſt? Id ne dicamus, aſſerendum omnino eſt, id ſolum voluiſſe ſignificare Saleſium, hoc genus pœnitentiæ caritate carens non eſſe ejus virtutis ut ipſa per ſe queat hominem ſalvare. At quamvis

id

id facere per ſe non poſſit, poteſt cum Sacramento, ut oſtendi in prædicto Tractatu de Dolore &c. argumentis quæ videntur invicta, quibus reſpondere debuit Adverſarius, ne diceretur totum libellum paginarum 255. declamando, exclamando, convinciando ſcripſiſſe.

Tandem alias multas, imo infinitas fal- 13
ſationes committi à me dicit Accuſator pag. 253. quibus tamen notandis ſuperſedet, quia, inquit, *immenſum opus aggrederer*. Quæ ejus clauſula eſt, cum verè nihil habet aliud quod accuſet. Mihi vero quamvis verè innumera quæ recriminando hic afferam contra ejus Fidem, occurrant, non eſt opus paginis innumeris, aut Opere immenſo. Satis enim conſtat ex tota hac noſtra reſponſione, nihil ferè ab eo, fide ſalva & integra, referri, textuſque mutilari fediſſimè etiam cùm me totus indignabundus mutilationis accuſat.

Hanc autem violatæ Fidei ac ſpretæ veritatis culpam committit potiſſimum tota Obſervatione nona ex triplici capite.

Primum eſt, quod laxitatis, & corruptelæ NOTAM inurit illis omnibus Propoſitionibus, quarum aliquæ à nullo Doctore ſic taxantur, & à pleriſque aut fere omnibus Do-

ctori-

ctoribus propugnantur, ut eſt ea quæ dicit certò ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ eam attritionem, quæ non concipitur ex charitate, nempe dilectione Dei propter ipſum Deum & ſuper omnia. Quamvis enim nonnulli aliquam Dei dilectionem requiſierint, ſententia tamen quæ *videtur* fuiſſe *communior*, ut Alexander VII expreſsè dicit in ſuo Decreto, quo cavit, ne alterutra opinio Theologicâ cenſurâ, aut notâ injurioſâ taxaretur, talem dilectionem non requirit, charitatem verò exigere nemo debet, ut alibi probatum eſt.

Secundum caput eſt, quod allegat ſolos fere Doctores Societatis, veluti ſoli ipſi eas ſententias propugnaverint, cum traditæ eæ fuerint ab aliis multis, iiſque probatiſſimis Doctoribus, ut eſt ea qua aſſeritur, non teneri Pœnitentem confiteri circumſtantiam, quæ ſpeciem non mutet.

Tertium, ipſumque potiſſimum caput eſt, quod in pleriſque, aut bene multis propoſitionibus non ſolùm non affert eadem Authorum verba, ſed nec ſenſum ipſorum, ut hìc oſtendo percurrendo aliquas ex ipſis.

14 Pag. 188. attribuit Excobario tract. 7. Compend. exam. 4. num. 91. hanc ſententiam.

Si

Si quis doleat de peccato propterea quod Deus in pœnam illius temporale malum immiſit, ſufficit. At ille numerus non eſt in eo exam. & multò minùs eſt ibi, aut alibi ea doctrina, ſed oppoſita, nam num.26. ejuſdem exam. dicit quidem Auctor attritionem concipi de peccato etiam ob temporale motivum, & non ſolum ob motivum æternum, ſed addit, Attritionem cum Sacramento ſufficere, *modò ſupernaturalis ſit, & ex motivo æterno, ut pœnæ Inferni, privationis gloriæ, offenſæ etiam Dei, ſed non ſummè dilecti*. Quæ profectò doctrina eſt prorſus oppoſita propoſitioni, & ſententiæ, quam ei tribuit Accuſator.

Pag. eadem refert hanc ſententiam. *Qui in ſervitio peſtiferorum ex humana fragilitate lapſus in mortale peccatum cum ſola attritione ex timore gehennæ moreretur vi morbi ex illo ſervitio contracti, mors illa ipſum faceret de attrito contritum, ſicut faceret ſacerdotalis abſolutio*. Et pro ea allegat Gobatum tract.6. num. 117. At is relata opinione Raynaudi id docentis, vocantiſque mortem ſic obitam, martyrium per peſtem, ſic habet. *Ego quidem habui hactenus illam ſententiam P. Raynaudi pro verè probabili, fateor tamen gigni illi difficultatem ex ob-*

jectione illa &c. Inde probat efficaci ratione eam eſſe falſam : ſolùm addit, videri ſibi nihilominus poſſe eam defendi, *non admiſſa illa energia Martyrii per peſtem* , aut ſi ea morte charitatem aliquam ſaltem implicite involui dicatur . Nunc rogo, an quicunque putat, ac dicit aliquam opinionem poſſe defendi, eo ipſo inclinet in illam ? Id ſi verum eſt, illud ſequetur , ſæpe inclinare nos ad ſententiam quam rejicimus, & impugnamus, quia ſepe ita rejicimus unam ſententiam , ut tamen contrariam defendi poſſe dicamus, ut hìc facit Gobat, qui ita eam ſententiam defendi poſſe dicit , ut tamen eam efficaciter rejiciat. At quomodo quis inclinet in eam ſententiam quam efficaciter rejicit ?

16 Eidem Doctori attribuit pag. 189. hanc propoſitionem . *Probabile eſt, nullum extare præceptum de contritione , ſeu pœnitentia per ſe loquendo elicienda ante articulum mortis* , quam quidem habet ſub eo num. 139. ſed addit immediate , *Contraria tamen (abſtrahendo à perceptione Sacramenti) ſententia eſt veriſimilior , & IN PRAXI SEQUENDA* . Hanc additionem pro ſua fide ſupprimit Accuſator , quæ tamen fuit maxime addenda , cum per

eam ſignificet Author, eam propoſitionem eſſe ſolum ſpeculativè probabilem, non autem practicè.

Hanc etiã ſententiã quam refert pag. 191. dicit eſſe Gobati num. 278. *Practicè probabile eſt, reum peccati mortalis, qui prævidet, ſe toto ſequenti anno cariturum copia Confeſſarii, non teneri anticipatò peragere confeſſionem.* Sed Gobat ibi ſic habet. *Tam multi negant, tam multi aſſerunt, reum peccati mortalis eſſe illum, qui prævidet ſe toto ſequenti anno cariturum copia Confeſſarii, ut neutri parti auderem negare veram probabilitatem practicam, ſuadeo tamen tutiora.* Quæ propoſitio nec eandem ſententiam continet, cùm non ſit idem non audere aliquid negare, & illud affirmare, & oſtendit animum authoris potius ſuſpenſum in reverentiam tot Doctorum, & inclinatum in ſententiam tutiorem, quam ſuadet. 17

In eadem pag. 191. citat eundem Doctorem num. 352. pro hac ſententia. *Si cui præbuiſti venenum, ex quo ipſe extinctus eſt, ſatiſfacis per ſe loquendo præcepto Chriſti de Confeſſione, dicendo preciſè, Præbui voluntariè, ſeu ſtudio alicui venenum animo illum necandi.* Id quidem habet Gobat eo num. ſed addit hæc. 18

Fateor tamen cum Cardinale de Lugo,regulariter expedire, ut illi actus exteriores manifeſtentur; quia ex eorum manifeſtatione magis intelligitur & perverſitas voluntatis, & an ſubſit obligatio reſtitutionis, & an adſit cenſura, vel reſervatio, quo quidem caſu non ſolum expedit, ſed neceſſe eſt aperire effectum. Et paulo ante, nempe num. 148. docet, deberi manifeſtare effectum malæ voluntatis, cùm is effectus peccatum eſt, cum videlicet eſt hujuſmodi, *ut cum producitur, pendet ab actuali influxu voluntatis, ſicuti pendet tactus turpis, verbum contumelioſum*. Hæc ſupprimi non debuere ab eo qui fideliter velit Auctoris doctrinam, & mentem exponere, ne Lector credat, eam propoſitionem ſic abſolute tradi à Gobato, aut ab eodem doceri, nunquam requiri, ut Pœnitens confiteatur effectum malæ voluntatis.

19 Eundem Doctorem facit auctorem hujus ſententiæ, quam refert pag. 191. in fine. *Per damnationem iſtius propoſitionis*, qui facit confeſſionē voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, *non eſt reddita improbabilis opinio dicentium confeſſionem invalidam, & ſacrilegam, qua quis non eſt confeſſus integrè, ex negligentia mortaliter culpabili, ſufficere ad ſatisfaciendum præ-*

præcepto. At id minimè docet Gobat qui non loquitur de confeſſione invalida, ut dicitur in hac propoſitione, ſed de valida, qualem poſſe eſſe confeſſionem non integram ex negligentia etiam mortaliter culpabili, docuerunt Sotus, Canus & Victoria allegati à Suario de Pœnit. diſput. 23. ſect. ult. num. 2. Verba Gobati eo num. 280. ſunt. *Quandoquidem inter 28. interdictas an. 1665. à Pontifice Alexandro VII. collocatur hæc.* Qui facit Confeſſionem voluntariè nullum, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, *ideo jam non eſt ampliùs probabilis opinio Doctorum nobis nunquam quoad hoc punctum probatorum, qui docuere hoc præceptum impleri poſſe per quamcunque confeſſionem etiam quomodocunque invalidam, modò ſit integra. Neque verò per iſtam prohibitionem reddita eſt improbabilis opinio docentium, dari poſſe confeſſionem VALIDAM, & INFORMEM, quando quis non eſſet confeſſus integrè ex negligentia mortaliter culpabili; & tamen hæc eſſet re ipſa ſacrilega, & nihilominus ad ſatisfaciendum præcepto ſufficiens.*

Pag. 193. hanc ſententiam Tamburino 20 tribuit, *Neque ſacrilegium in Confeſſione exprimendum committitur per pollutionem, & for-*

nicationem occultam in Eccleſia. At Tamburinus in Meth.Confeſs.lib.2.c.7.§.5.quærens an prædicta occultè commiſſa in Eccleſia ſint ſacrilegium in Confeſſione patefaciendum, ſic reſpondet n. 53. *Licet communior, & probabilior ſententia ſit cum Suarez tr. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 4. Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 15. num. 11. Bonac. de Matr. qu. 5. punct. ult. num. 7. etiam tunc eſſe ſacrilegium, tamen probabile etiam eſt cum Vaſquez, Baſilio Pont. non eſſe, atque adeo in confeſſione minimè explicandum*, & affert rationem. Qui autem dicit aliquam ſententiam eſſe probabilem, & affert rationem probabilitatis, ſed ſimul diſertè dicit, oppoſitam eſſe communiorem, & probabiliorem, non eo ipſo amplectitur illam, ſed aut neutram, aut potius hanc, quam fatetur eſſe probabiliorem.

Eadem fide referuntur reliquæ ſententię, quas Accuſator corruptelas appellat, ſuntque veriſſimè corruptelæ fidei, & veritatis, quam ipſe tam ſæpè, ne dicam ſemper, violat, & corrumpit.

CA-

CAPUT V.

Quinta Accuſatio imperitiæ in critica diſciplina ſummam in eadem facultate Accuſatoris imperitiam oſtendit.

HUnc titulum ſuæ quartæ Obſervationi præfigit Accuſator, *Francolinus in critica diſciplina rudis, & peregrinus*. Hoc igitur eſt alterum caput, unde accuſor, quod utpotè minoris momenti, ultimo loco tractandum eſt, & breviſſimè.

Imperitus autem, & rudis in hac fa- 1
cultate dicor, *inque ipſo luto erroris verſari* quia ad confirmandam doctrinam meam affero tom. 1. pag. 17. canonem Apoſtolorum 51. & pag. 177. Clementis hujus nominis primi Romani Pontificis Conſtitutiones. Utramque autem iſtam collectionem eſſe fœtus ſuppoſitos, aut corruptos pluribus oſtendit inutili labore, eaque affert, quæ ego ante ipſum attuli in meo Tyrocinio edito hoc anno, de utraque collectione differens pag. 85.

Nec ignorabam antea: ſiquidem in ipſo Clerico Romano, quem hic impugnat Adverſarius, tom.1.pag.221.affero quod ſit eruditorum judicium circa canones Apoſtolicos.

Cur ergo hos Canones, ſeu Conſtitutiones affero, ut quæ doceo confirmem? Quia non ſum in Critica facultate rudis, & peregrinus, & probè ſcio, multa utilia in ipſis contineri: hinc allegantur ab omnibus eruditis, & ab iis ipſis, quos Accuſator abſque dubio prædicat tanquam clariſſimos noſtri ævi Doctores. Merbeſius de Sacramento Ordinis diſſert. 6. quæſtiuncula 30. ex canone Apoſtolorum 27. 43. & 68. antiquitatem Ordinis Lectoris probat, & quæſtiuncula 46. ex cap. 61. lib.2. Conſtitutionum S. Clementis, munia Diaconi recenſet. Similiter Juenin in Comment. Hiſtor. de Sacr. Ordinis quæſt. 7. capite 2. primum argumentum quo probat concluſionem ſuam, petit ex can.60. Apoſtolorum, & paulò poſt agens de Epiſcopatu qu. 1. cap. 1. doctrinam ſuam confirmat ex cap. 16. lib. 3. prædictarum Conſtitutionum Clementi attributarum; quod ſanè faciet alibi, nec rarò: hæc enim in utroque loca paucas eorum paginas percurrens notavi.

Utro-

Utroque autem frequentiùs id facit Morinus . Quid hìc Accuſator ? non audebit certè rudes , & peregrinos in critica facultate dicere hos tam præſtantes , tam celebres Doctores . Cur ergo ſic me dehoneſtare non dubitat , qui vix unquam ex his fontibus , quæ doceo confirmo , eaque ſolùm , quæ aliundè validiſſimè confirmavi ? Sed hæc levia ſunt ad defenſionem meam , illud validiſſimum eſt , quod Concilium Tridentinum horum Canonum Apoſtolicorum nempè 39. & 75. authoritate munit Decretum ſuum quod de Reformatione Prælatorum Eccleſiaſticorum ſtatuit ſeſs. 25. cap. 1. Quid hic reponet Accuſator ad excuſandam audaciam , ſi hunc locum Tridentini non ignoravit ? Si verò erravit ex imperitia , ut credere malim , cogetur fateri, à me veriſſimè dictum to. 1. pag. 65. non paucos callere quæ Concilium Gangrenſe , quæ Ancyranum , quæ Laodicenſe ſtatuerint , ignorare autem canones , ac decreta Tridentini .

Pag. 72. me ſimiliter traducit , quòd ad 2
illuſtrandam efficaciam Sacramenti Euchariſtiæ afferam ſermonem Cypriani de Cœna Domini , nempè eum ſermonem , qui judicio

Digitized by Google

Bellarmini *neque verba, neque ſententias habet homine docto dignas, ſed ineptas narrationes, & fabellas*.

At idem ſermo dignus Cypriano viſus eſt aliis viris eruditiſſimis, nempè Philippo Labbè, Theophilo Raynaudo, aliiſque (quodque plurimi faciendum eſt) etiam Pamelio Lovanienſi Theologo, qui doctiſſimis notis, & obſervationibus Sanctum Cyprianum illuſtravit, quemque idem Accuſator laudat pag. 217. Addit autem idem Pamelius eos ſermones Cypriano attributos de vita Chriſti, inter quos eſt is de Cœna Domini, ſcriptos abſque dubio eſſe ab Authore qui ſi Cyprianus non eſt (ut non eſſe puto) *eandem authoritatem merentur*, quod mihi ſatis erat ad ſententiam, quam ibi ſtatuo confirmandam. Addo, pauca quædam verba hujus ſermonis à me afferri, nec ejus ſolum, ſed aliorum Patrum, qui etiam ſublato Cypriano, ſatis confirmant concluſionem meam, quæ ea authoritate nihil indiget, & eam efficaciam Euchariſtiæ attribuit, quam Adverſarii non negant. Non erat igitur, cur tam ſubtiliter ejus ſermonis merita expenderem, eique eam authoritatem abrogarem, quam eripere eidem

no-

noluit Pamelius, aliique quos laudavi, ſcriptores eruditi.

Pag. 73. eidem imperitiæ tribuit, quod in dubium vocem Canones Baſilii, quos admitti ab omnibus eruditis, & verè Baſilianos haberi dicit.

Verùm nec ego eos rejicio, imò pagina 3
ſequenti diſertè eos recipio. Solum propono contra illos aliqua quæ moleſtiam, & difficultatem faciunt. Aut igitur illa non habent veram difficultatem, & ſolvi poſſunt, & jam debuit Accuſator pro critica facultate, qua pollet, ea ſolvere, aut habent veram, nec fortè vincibilem difficultatem, & laudare debuit in me criticam ſubtilitatem, per quam id contra eos canones objici poſſe vidi, quod alii non viderunt; & inſuper laudare debuit modeſtiam quæ me continuit, ne à communi circa eos canones opinione recederem, & plus tribuerem alienæ authoritati quam argumentis meis.

Pag. 74. hallucinatum me dicit egregiè, 4
quòd to. 1. pag. 217. ut Baſilianum canonem falſi revineam in medium adduxerim Trullanæ Synodi Canonem 87. Errorem autem in eo eſſe dicit, quod Trullanam Synodum

lau-

laudem ſub nomine Concilii Conſtantinopolitani, eamque magnæ in Eccleſia authoritatis eſſe arbitrer, quod falſum eſſe oſtendit ſubtexens illius Synodi hiſtoriam quam norunt omnes, & ideo breviſſimè indicavi in meo Tyrocinio Theologico pag. 55. quæ exhibet Concilia partim approbata, partim reprobata. Hanc autem Synodum vocant omnes Concilium Conſtantinopolitanum addunt *quiniſextum*, quia celebratum, velut in ſupplementum quinti & ſexti, quod ego ſatis indicavi, dum addidi *celebratum in Trullo*. Hæc enim ſunt verba mea in loco cit. *Concilium verò Conſtantinopolitanum celebratum in Trullo can.* 87. *adulteris &c. ſolum ſeptennium pœnitentiæ indicit*. Idem autem eſt apud omnes eruditos Concilium Conſtantinopolitanum quiniſextum, ac Concilium Conſtantinopolitanum celebratum in Trullo. In ea igitur hujus Synodi appellatione non erro, ſed errat Accuſator de more, dum refert à me eam Synodum vocari Concilium Conſtantinopolitanum, & nihil addit aliud.

Errarem quidem ſi putarem, eſſe magnę in Eccleſia authoritatis hanc Synodum, nempè ejus doctrinam. At id aſſero nunquam,

nec factis indico. Non enim eum hujus Synodi canonem affero in confirmationem doctrinæ. Cauſa afferendi fuit iſta. Cum agerem paulò ante de pœnitentiis illis longiſſimis, quas imponit S. Baſilicus in ſua epiſtola Canonica, dubitavi, an verè Baſilii eſſent illi Canones tam ſeveri; propoſui fundamentum dubitationis meæ, nempè hoc, quod Baſilius in ea epiſtola Can. 58. quindecim annorum pœnitentiam adulteris imponit, Patres verò Concilii Trullani poſtea celebrati mentionem Baſilii facientes, & veluti ſequentes ejus regulam in ſtatuenda diſciplina Pœnitentiæ adulteris, & quidem peſſimis, utpotè ineuntibus alterum matrimonium uxore ſuperſtite, ſolum ſeptennium pœnitentiæ indicunt. Intuli ergo, ne dicantur prædicti Patres ignoraſſe Canones Baſilii, aut alios longè diverſos condidiſſe, dum Baſilium ſequi ſe velle profitentur, dicendum eſt eos Canones qui modò Baſilio tribuuntur, non eſſe verè Baſilii. Qui ſic diſcurrit, nullam profectò authoritatem tribuit doctrinæ illius Synodi, cum de doctrina non agat, ſed ſolum de facto ad hiſtoriam pertinente, & ſolùm cenſet, eos canones Trullanos eſſe verè ejus Synodi canones,

nes, quod non vocatur in dubium. Non igitur intellexit Accuſator in quem finem Trullanum canonem afferrem, & hallucinatum me graviter fuiſſe pronunciavit, dum ipſe graviſſimè hallucinabatur. Addo nec verùm eſſe, quòd quis putet eſſe magnæ authoritatis quæcunque affert ad ſuam doctrinam confirmandam, cum ſatis ſit ea eſſe alicujus authoritatis. Hinc Merbeſius de Pœnit.qu.69. pag. 197. col.2. edit. Pariſ. ad confirmandam doctrinam ſuam, hos canones Trullanos allegat, quod etiam facit Juenin in Comment. Hiſtor. Dogmat. to.2.de Sacr.Pœnit.pag.763. edit.Lugd.aliique ejuſdem Scholæ Doctores, quos in Critica facultate rudes, & peregrinos appellare perhorreſcet Accuſator, permittetque, ut ſic appellem ipſum, moneamque quod hic audet monere me, *ne ſutor ultra crepidam*: alioquin deridendum ſe præbebit omnibus, ut certè facit in tota hac Obſervatione IV. & præſertim in eo quod ſubdit, B. Humberti Inſtructiones reiiciens.

5 Fuit is quintus totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter B. Alberto Magno, ac D. Thomæ ſuppar, virtutibus omnibus decoratus, ſed præſertim amore Regularis

diſci-

diſciplinæ, cujus tuendæ gratia librum edidit ſic inſcriptum *De Inſtructione Officialium Ordinis Prædicatorum*. In eo ſiquidem ſuos Religioſos mirâ prudentiâ inſtruit, ut optimè ſe gerant in officiis ſuis: ſingula autem libri capita ſingulis officiis attribuit. Hunc librum eſſe certè germanum Humberti fœtum fuit ſemper adeo certum, ut nullus negarit unquam, imò nec vocarit unquam in dubium. Humberti illum eſſe omnes omnes omnino Ordinis cronographi antiqui, & recentes conſtantiſſimè affirmant. Conſentiunt omnes qui de Humberto ſcripſere, & libros ab eo ſcriptos recenſent. Confirmat id editio ipſa antiquiſſima harum Inſtructionum. Sunt enim editæ ſimul cum Ordinis Conſtitutionibus, & eidem cum illis volumini inſertę in hunc modum & ordinem, quem exhibet Index totius Operis: eſt autem is

Regula Beati Auguſtini Epiſcopi.

Conſtitutiones Fratrum Ordinis Prædicatorum cum ſuis declarationibus inſertis &c.

Tabula per alphabetum ſuper Conſtitutiones copioſiſſima.

Conſtitutiones Monialium Ordinis Prædicatorum.

Re-

Regula Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici.

Liber de inſtructione Officialium Fratrum Ordinis Prædicatorum. Eſt autem is de quo agimus.

Item formularium electionum, confirmationum, & abſolutionum &c.

Item modus celebrandi capitula &c.

Item Chronica Generalium Magiſtrorum cum incidentibus nonnullis, & viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum.

Prędicti autem libri de Inſtructione Officialium hoc eſt initium.

Incipit liber de Inſtructione Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum Rever. P. Fratris Umberti Mag. Ordinis Fratrum Prædicatorum.

In prædictis autem Chronicis, quæ deſumpta ſunt, ut dicitur in titulo *ex antiquis Chronicis*, quæ poſt privilegia Ordinis impreſſa habebantur, ita legitur *Anno Domini* 1263. *Magiſter Umbertus V. Ordinis Magiſter magiſterio ceſſit &c. Scripſit autem hic Pater Sanctus ſuper regulam S. Auguſtini egregium volumen. Item libellum de ſeptem gradibus concontemplationis. Item de tribus votis eſſentialibus*

libus, *librum præterea de* OMNIBUS OFFICIIS ORDINIS MIRO ORDINE DICTAVIT, *ut quilibet Frater ſciret quid ſua intereſſet, cùm ei aliquod officium imponitur. Scripſit etiam ſuper Conſtitutiones, ſed non perfecit morte præventus.*

Demum has eſſe verè Inſtructiones Humberti, tàm certa traditione firmâtum eſt in toto Ordine Prædicatorum, totaque Eccleſiâ, quàm certa ea eſt, qua Confeſſiones S. Auguſtini hujus S. Doctoris verè eſſe creduntur ab omnibus, Regula S. Franciſci ejus eſſe creditur, & Conſtitutiones Soc. Jeſu à S. Ignatio conditæ habentur.

Solus Accuſator meus has Inſtructiones Humberto attributas, eamque potiſſimum earum partem, qua Confeſſarium inſtruit, à me tom. 2. pag. 84. & ſeq. recitatam oculo critico perlegens, & inſpiciens ſic pronunciat pag. 77. *At contra mordicùs ego contendo, Inſtitutiones illas falsò Humberti Predicatorum Præpoſiti Generalis nomen præferre: idque momentis adeo invictis, ac per ſe obviis evinco, ut plane mirari ſubeat, ea in viri non omnino cæcutientis oculos non incurriſſe.* Quam mihi juſtiùs uſurpandæ hìc eſſent illæ Accu-

 ſato-

ſatoris mei tam frequentes exclamationes? Sed parco. Et quæro, quæ nam ſint iſthæc momenta adeo invicta, adeo obvia, quæ Humberto eas Inſtructiones eripiunt?

Ridicula ſunt. Primum petit Accuſator ex tempore, quo ſcriptas fuiſſe eas Inſtructiones dicit, cùm videlicet Humbertus obierat. Capite enim 2. ubi agitur de officio Provincialis, & cap 5. quod eſt de officio Magiſtri Novitiorum, Doctoribus Angelico, & Seraphico Sancti titulus defertur. Quin prædicto cap. 5. Ludovici Granatenſis mentio fit, nempe Scriptoris tantò poſterioris: Humbertus enim anno 1277. ante ipſum D. Thomam extremam diem obiit, at Ludovicus Granatenſis obiit anno 1588.

In primis nego, iſta legi in his Inſtructionibus, quas ipſe habeo ad manus, editas Romæ anno 1566. & libentiſſimè iis qui legere eas volent, oſtendam.

Sed volo humanior eſſe. Habeat Accuſator exemplar, in quo illa legantur; at homo criticę diſciplinę præceptis excultiſſimus, & apprimè eruditus, quem ſe ipſum facit, non debuit unico exemplari fidere, imo debuit ipſum, ut certè infidum rejicere, aut

po-

potius in ipſo partes primigenias ab additis ſeparare. Non debuit ignorare vir eruditus, uti harum Inſtructionum meminit in ſuo Chronico Jacob de Suſato, qui toto ſæculo, & amplius eſt antiquior Granata; hinc intellexiſſet, additum ſuo exemplari aliquid fuiſſe. Non debuit Scriptoribus tam multis, totique Ordini Prædicatorum tam gravem injuriam inferre, & putare, aut eos Inſtructiones Humberti, quamvis ſuis Conſtitutionibus adnexas non legiſſe unquam, aut ita legiſſe, ut nihil adverterint ad ea, quæ ſtatim incurrunt in oculos, & conçutiunt etiam ſtupidum Lectorem.

Alterum argumentum æque invictum petit ex imperitia juris Dominicani, quam (ut ipſe aſſerit) in multis, & quidem cuique obviis, præſefert Author illarum Inſtructionum, imo etiam juris Eccleſiaſtici, rituumque quos certè etiam tunc obſervabat Eccleſia Catholica. Siquidem non ſolum monet, aut mandat, ut aliqua fiant, quæ ſunt illius Ordinis Conſtitutionibus contraria, ſed præterea in eo cap. 5. uſum Calicis accedentibus ad Sacram Communionem conceſſum tunc fuiſſe innuit. Sic enim Novitios inſtruit;

Conſumptâ Hoſtiâ ad Calicem cum reverentia accedant. Calicis autem uſum indultum tunc minimè fuiſſe, certum eſt.

Si hæc vera ſunt, illud ſequi neceſſe eſt, Authorem earum Inſtructionum nec Dominicanum fuiſſe, qui jura illius Ordinis, & quidem cuique obvia, ut ſunt illa, quæ Accuſator notat, ignoravit. Imo nec fortè Catholicum, rerum certè noſtrarum penitus ignarum eum Scriptorem fuiſſe, dicemus; dum communionem ſub utraque ſpecie, aut omnibus Fidelibus, aut ſaltem toti Ordini Prædicatorum ſæculo 13. conceſſam ſupponit ex ſumma imperitia, vel ad confirmandum circa hoc Schiſmaticorum errorem. Et id genus hominem in ſuum Inſtructorem adſcivit Ordo Prædicatorum Sanctiſſimus, tantique ejus Inſtructiones fecit, ut illas Juri ſuo tanquam præclarum additamentum, aut ornamentum inſerere non dubitarit? Quis hoc aſſerat, niſi deſipiat?

At quid ad objecta? Reſpondeo, ea quę notat Accuſator, contraria non eſſe Conſtitutionibus Ordinis, ut facilè advertet qui earum declarationes leget, nec ingnorarit, haud uno omnes tempore conditas eas fuiſſe.

Quod

Quod ſpectat ad Calicem, nemo non videt, ibi ſermonem non eſſe, de Calice Sanguinis, ſed vini ad oris ablutionem parati, ad quem Novitii, ut modò etiam faciunt, poſt communionem accedunt, & quidem reverenter, ut incedere debent ex ſacra communione recentes.

Tertium argumentum æquè invictum petit ex ſtylo harum Inſtructionum, quem dicit eſſe magis barbarum eo, quo alia ſcripſit Humbertus. *Et ſi enim*, inquit, *non omninò purè, & emendatè ſcriberet Humbertus, non ita tamen barbarè, & inquinatè, ut facit iſtarum Inſtructionum confarcinator, apud quem frequentiùs occurrunt garziones pro famuli, ſcopare pro mundare.*

Invictum ſane argumentum. Audite Judices Critici. *Hæ Inſtructiones ſunt magis inquinatè ſcriptæ, quam reliqua Opuſcula Humberto attributa, ergo ejus non ſunt.* Et cur non liceat potius inferre, *ergo reliqua opuſcula Humberto attributa ejus verè non ſunt?* Cur, ſi utraque Humberti eſſe nequeant, hæc potius ei tribuantur quam illa? Cur non iſta potius ſuppoſita dicantur quæ tantæ auctoritatis non ſunt, non inſerta Conſtitutionibus aut Regu-

 lis

lis Ordinis, nec omnia ab omnibus Scriptoribus inter Humberti Opuſcula recenſita, aut ei certò attributa?

Rurſus, ſi ejuſdem Aulhoris non ſint opuſcula, barbarè quidem ſcripta, ſed non æquè barbarè, jam nec ejuſdem Authoris erunt opuſcula ſcripta quidem latinè, ſed non æquè latinè, ergo nec Hieronymi, nec Auguſtini, nec Ambroſii erunt opuſcula iis ab omnibus, nemine diſcrepante, attributa, cum non omnia ſint æquè latina, æquè culta, & expolita.

Quid ad hæc reſpondebit Accuſator, quid reliqui Cenſores criticæ ſcientiæ periti, quorum, inquit ipſe, eſt idem de his Humberti inſtructionibus judicium? Ecqui ſunt iſti Judices tam lincei, ut videant quod nemo alius vidit, tam præfidentes, ut contra communem totius Ordinis perſuaſionem, contra concordem omnium Scriptorum atteſtationem, contra certam & indubitatam tam longi temporis traditionem, ſuam ferre ſententiam non timeant? Cur iſtos non nominas, ut cognoſcamus egregios Cenſores, judices in Critica diſciplina præſtantes? Quam vereor ne qui vix unus es, idem te cum pluribus facias, ut

quos

quos habere non poſſis ſocios veros, habeas fictitios. Quàm vereor, ſi veri ſunt, ne ſint ex illis, qui non alios Judices agnoſcunt in Eccleſia, quàm ſe ipſos, qui tandem habituri ſunt omnia tanquam falſa, & ſuppoſititia quæ ſuæ doctrinæ non congruunt, Inſtructiones Patrum, Pontificum Bullas, oracula Scripturarum.

Hæc enim eſt unica & vera ratio, quæ movit Accuſatorem meum, ut has Humberto Inſtructiones eriperet. Vidit illas eſſe ſuo rigori contrarias. Non igitur Humberti ſunt, inquit, & quæ nulla ſunt argumenta, invicta vocavit, quodque pudendum judicium eſt, mordicus ſuſtinendum cenſuit. Is fuit aberrantium aliquorum circa aliquas Scripturæ Canonicæ partes collectio. Quas repererunt errori ſuo contrarias, rejecere omnes, quia conrarias. Hæc vera ratio fuit, non autem illa quæ etiam ipſi vocarunt invicta rationum momenta.

Addo, inutiliter hic laboraſſe, Accuſatorem meum. Quamvis enim evinceret, eas Inſtructiones Humberti non eſſe, nihil evinceret. Cujuſcunque enim illæ ſint, certè totus Ordo Prædicatorum eas recepit, probavit,

opti-

optimas eſſe cenſuit, & ideo ſuis Conſtitutionibus, ac decretis inſeruit, ſuiſque Alumnis propoſuit ut regulam rectiſſimam, cui ſe in ſuis officiis conforment. Igitur totius doctiſſimi, ſanctiſſimique Ordinis judicio praxis ibi propoſita Confeſſariis optima eſt; ſed eadem mea eſt, ergo etiam mea optima eſt. Ergo per calumniam (ut eò redeat mea defenſio, unde incepit) in fronte libelli ſui, inque omnibus ejus paginis me Accuſator appellat *laxioris in Adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ diſciplinæ Magiſtrum*.

Supereſt, ut tibi (quicunque fuiſti meorum librorum Accuſator) gratias agam, qui dum declamaſti ſolùm in me, & convicia ubique jeciſti, dum nihil ſolidum contra meam doctrinam attuliſti, eam effuſiſſimè laudaviſti, nihilque feciſti aliud, quàm ut contra te boni doctique omnes dicere poſſint idem ferè, quod S. Aug. dicit lib. 2. contrà Julianum cap. ult. *Apparet omnibus qui ſano capite, atque intelligenter hæc legunt, cùm multa diceres, nihil te inveniſſe quod diceres; & tortuoſo ſtrepitu laquacitatis egiſſe, ut eis qui non intelligunt, dixiſſe aliquid videaris.*

Laus Deo, & Princ. Apoſt. D. Petro.

IN-

INDEX
Rerum notabilium.

A

ABſolutio differri quando, quandiu, & quibus debeat ex ſententia quorundam. Pagina. 57. 52. 58. 73. 74. 75. 76. & 87.
Alexander VII. quas ſententias circa amoris in Sacramento neceſſitatem taxari vetet. pag.36.
Antonii Arnaldi Propoſitiones aliquot. pag.78.

B

BAjaniſmi origo unde. pag.123.num.3. Bajani. v. Janſeniſtæ.
Baii receſſus à Scholaſticis Doctoribus. pag.123. Ejus perſuaſio, quod ſua doctrina eſſet D. Auguſtini. pag. 146. n. 5. Ejus minimè prompta obedientia. pag.150. num.7.

C

CAlumniæ circa rigorem veteris Eccleſiæ cujus fuerint. pag.93. &c.

Cono-

Canones Apoſtolorum cujus auctoritatis ſint. pag. 167.

Canones Pœnitentiales an vim præcepti habuerint. pag. 15. num. 9. *An detur obligatio eos addiſcendi.* pag. 61. *An obſervandi modò.* pag. 62.

Clementis I. Conſtitutiones cujus auctoritatis. pag. 167.

CLEMENTIS XI. Conſtitutio contra Janſeniſtas. pag. 44. num. 2.

Concilia Generalia an habeant multos Canones pœnitentiales. 134. 13.

Concilia particularia aliquot an recepta ab Eccleſia. pag. 138.

Concilium in Trullo celebratum cujus auctoritatis. pag. 171. num. 4.

Confeſſio an differri poſſit. pag. 20. num. 15. &c. *An publica de peccatis occultis fuerit olim injuncta.* pag. 141. *An informis & valida etiam dum fit cum negligentia graviter culpabili.* pag. 164. num. 19. *An peccati dubii, & probabiliter nõ commiſſi fieri debeat.* pag. 38. n. 24.

Confeſſor an debeat judicare, pœnitentem non eſſe relapſurum. pag. 33.

Conſuetudo inveterata peccandi an veram pœnitentiam impediat. pag. 73.

Con-

Contritio. v. *Dolor peccatorum*.

Cypriani, & *Stephani diſſenſus*. pag. 116. num. 4.

D

D*Olor de peccatis neceſſarius ad Contritionem, vel ad Sacramentum an debeat eſſe de ſingulis peccatis*. pag. 49. *An intenſus*. pag. 67. *An ex Charitate*. pag. 69. *An citò concipiatur*. pag. 73.

E

E*Cclesiæ veteris rigor ex ſententia quorundam*. pag. 65. & 77.

Eccleſiæ præſentis Fideles infamantur à Mr beſio. pag. 66.

Eccleſiæ aliquæ olim nimio rigore turbatæ. pag. 108.

G

G*Abrielis Propoſitiones aliquot*. pag. 83.

Hui-

H

HVighenii Propoſitiones aliquot. pag.81.
Havermans Propoſitiones aliquot.pag.82.
Humberti Inſtructiones verè Humberti. 174. 5.

I

JAnſeniſtarum & Bajanorum perſuaſio, quod nulli ſint Janſeniſtæ, aut Bajani. pag.42. 1. An modo ſint, nec pauci. pag.44. num.2. Eorum aſtus circa reformationem Theologiæ Moralis. pag.46. num.3. Origo Janſeniſmi, & Bajaniſmi, aut eorum cauſa. pag.123.
Indulgentiarum intuitu an minor pœnitentia imponi poſſit. pag.64.
Juenini Propoſitiones aliquot. pag.67.

M

MErbeſii Propoſitiones aliquot. pag.48.

N

NAvarrus quid ſentiat circam pœnitentiam impoſitam ſine præcepto. pag.7.

Opſtra-

O

O *Pſtraete Propoſitiones aliquot*. pag.86.

P

S *Ancti Patres cur, ut dicitur ab aliquibus, differri voluerint abſolutionem*. pag.51. *Eorum auctoritas, laus, lectio*. pag.128. &c. *Quam rationem injerint in rejiciendis erroribus*. pag. 132.
S. Paulus quomodo loquitur de Lege. pag.131.
Pœnitentiæ pars an poſſit imponi ſine præcepto. pag. 4. num. 3. *An pœnitentiæ acceptandæ detur præceptum*. pag.23. num.14. *An Pœnitentiæ congruæ faciendæ obligatio juris divini, & naturalis detur*. pag. 58. 59. 60. 72. & 79. *Pœnitentiæ diſciplina que fuerit olim ex aliquibus DD.* pag.65. 69. & 77.
Pœnitentia interna. v. *Dolor*. *An ſit* plangenda iterum non committere. pag.55.
Pœnitentiales Canones. v. *Canones Pœnitentiales*.
Pœnitenti an ſit credendum, pag.2.

Pœnitentium pravo habitu implicitorum curatio ex Merbeſio . pag. 52. *uſque ad* 58. *ex Jueñino* . pag. 73.
Peſte infectis ſervientes ſi attriti moriantur &c. pag. 161. num. 15.
Præparatio ad Communionem quæ neceſſaria ſit ex Arnaldo . pag. 80.
Propoſitiones rigidiores . pag. 48. uſque ad 88.
Propoſitiones aliquot malè attributæ quibuſdam DD. pag. 159. *&c.*

R

Recentiores DD. cur laudati , & qui. pag. 123. *&* 133.
Relapſus an indicium prioris impœnitentiæ. pag. 55.

S

Satisfactio pro peccatis an ex precepto , an neceſſariò exhibenda , & congrua . pag. 23. 58. 59. 60. 72. *&* 79.
Scholaſticos deſpexit Bajus, & male. pag. 123. 7.
Scotus an docuerit , poſſe non acceptari pœnitentiam impoſitam . pag. 23. num. 14.

Sua-

Suarii ſententia circa pœnitentiam impoſitam ſine præcepto . pag. 4. num.3. *Et circa judtcium Confeſſarii de futura conſtantia pœnitentis* . pag. 33.

T

T*Ertullianus an fuerit rigidior etiam ante lapſum* . pag. 110.

D. Th. quid doceat circa pœnitentiam impoſitam ſine præcepto . pag.9. num.5. *Præfert Religioſos Presbiteris Parochialibus* . pag.21. 12.

V

U*Mbertus* . v. *Humbertus* .

F I N I S.

ERRATA			*CORRIGE*
pag. 2	verſ. 19	affifingis	affingis
6	15	tribuantur	tribuatur
7	20	peccatorum	peccatorem
32	23	hud	haud
38	9	quod	quo
40	3	cum	eum
50	22	admiſſe	admiſſiſſe
71	7	damnate	damnante
	10	damnatis	damnantis
72	17	injugi	injungi
79	15	multo	multi
132	19	lect.3.	lect.7.
134	23	patex	patet
146	19	Bajo	à Bajo
163	12	Confeſſarii, ut	Confeſſarii, obligari anticipato peragere confeſſionem, ut
168	23	faciet	facient
173	17	ergo	ego

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google